

855 b  
DISSERTATIO JUBILÆA,

IN QVA DISQVIRITUR

DE EO:

NVM ASTRA VIM ET EFFI-  
CACIAM INFLUXU SUO HABE-  
ANT IN COMMOVENDIS CIRCA RELI-  
GIONEM HOMINUM ANIMIS,

QVAM

DEO FELICITER ANNUENTE,

NEC NON

AMPLISSIMA FACULTATE PHILOSOPHICA

CONSENTIENTE

IN ILLUSTRIS POMERAN. UNIVERSITATE,

PRÆSIDE

IEREMIA PAPKEN,

MATHESEOS PROFESSORE,

DN. PATRONO ET PRÆCEPTORE SUO OMNI HONORIS ET OB-  
SERVANTIÆ CULTV ÆTATEM PROSEQVENDO,

RESPONDENS

IACOBUS BATTUS, PHIL. ET MED. CULTOR,  
GRYPHISW. POMERANVS,

PUBLICÆ ET PLACIDÆ RECTE IUDICANTIVM CENSVRÆ  
SVDJICIET,

MENSE DECEMBR. ANNI MDCCXXX.

QVI IN MEMORIAM AVGVST. CONFSSIONIS CA-  
ROLO V. TRADITÆ, FESTUS CELEBRATUR.

IN FINE ADJECTA SUNT UNA CUM TYPO POTIORA MO-  
MENTA CALCULI ECLIPSEOS SOLIS AD DIEM  
XV. JUL. OBSERVATÆ.

---

GRYPHISWALDIÆ,

TYPIS CAROLI HOEFTNERI, REG. ACAD. TYPOGR.

Astron.

586,20

Beot. H. 104.

**VIRIS,**  
ACADEMIÆ GRYPHICÆ  
**RECTORI MAGNIFICO,**  
*Amplissimo, Excellentissimo,*  
*Experientissimo, juxta ac Doctissimo,*  
**CHRISTIANO STE-**  
**PHANO SCHEF-**  
**FELIO,**  
MED. DOCT. ET PROF. REG. ORDIN.

NEC NON  
*Amplissimo, Excellentissimo,*  
*Experientissimo, ut & Doctissimo,*  
**IOHANNI LEMBKE,**  
MED. DOCT. ET PROF. PHYSICES ORDIN.

H. T.  
FACULT. MED. DECANO,

*Mæcenatibus*

*atqve*

*Præceptoribus filiali amore prosequendis,*

Hasce studiorum suorum primitias in grati animi tesseram  
pro fidelissima informatione cum flagrantissimo om-  
nigenæ felicitatis voto, oblatas, ac consecratas esse  
voluit

TANTORUM NOMINUM

*humillimus Cultor*

**JACOBUS BATTUS.**



## I. N. J.



Um plurima sunt, quæ viam ad optimarum & præstantissimarum rerum cognitionem non paucis intercludunt, tum illud hoc maxime facit, quod in scientiis tractandis sæpe hominum ingenia triplici vitio obnoxia esse deprehenduntur, nimirum sordidæ, imbecillitati & fraudulentæ. Siquidem nonnulli sunt Viri alias etiam ingenium ad omnes honestas disciplinas percipiendas nacti, qui rerum causis rite indagandis debitam curam & industriam non adhibent, sed laboris difficultate vel etiam diuturnitate territi, ingenii vires intendere nolunt, atque ideo veritatis scopum non attingunt; alii sunt, qui multum quidem studii habent & industriæ in inquisitione rerum tam maximarum quam occultissimarum, quarum indagacionem oblectationem habere persuasi sunt, sed propter virium ingenii defectum, se irritam sæpe & maximam partem inanem in his posuisse operam experiuntur, dum ubique fere hallucinantur; Cæteri multis præjudiciis sæpe ab infantia imbuti, & magis de opinione præconcepta, vel etiam de Præceptoris autoritate quam de ipsa veritate solliciti, dum se intricatos animadvertunt, interim opinioni semel receptæ pertinaciter adhærent, & ægerrime se inde dimoveri patiuntur, quo pacto semet inde extricent, solum cogitant. Cunctis igitur jam dictis hominibus, vel Dei omnipotentia, vel astrorum influxus, vel occultæ quædam & nunquam humano ingenio indagandæ qualitates, familiare refugium & ignorantiaæ asylum esse solent, dum nempe ignotis particularibus, proximis, propriisque & domesticis causis, has esse prætendunt, vel Deum vel occultas quasdam mixtorum qualitates, vel cœlestium corporum influentias; Sic ergo frequenter non pauci reperti sunt, qui quæcunque sunt in his sublunaribus, eadem astrorum virtuti & efficaciam adscribunt; imo eo protervia nonnullorum, quos insana futura præcognoscendi vexavit curiositas, profecta est indomita & effrenata licentia, ut fallacibus hisce principiis ingentes vaticiniorum moles superstruxerint, putarintque per sideralium influentiarum efficaciam in hoc vel illo cœli positu, in quo nescio quid cœlestis comminiscuntur, posse se ad omnes quæstiones propositas de rebus præteritis, præsentibus & futuris respondere, & quæstione facta defure definire, specialiter, quid furatus sit, ubinam sit, cujus formæ & ætatis sit, atque adeo in occultas usque cogitationes, quod tamen nature nostræ limites transcendit, penetrare, & abstrusissimam rei veritatem enucleare, dum corpora cœlestia pro causis per se omnium actionum & motuum hominis, quod Arabum imprimis nempe Haly & Hermetis mendacissima Astrologia fecit, habent; alii etiam ultra quam par est astrorum vim protendere pergunt, & in humanum genus ipsumque Creatorem injurii, spiritualia quoque animamque nostram commentitio Planetarum nihil tale curantium imperio, iniquissime subjiciunt, & ne quid impietatis desit, ipsam religionem suis nugis & gerris immiscentes, sancta quæque proculcant, ita ut religionum fata ab astris suspendant, ab iisdemque

A

prove

provenire affirmant, ut huic potius quam alteri dogmati quis assentiatur, ut contra usitatam religionem disputet, ut religionis amantissimus sit, vel parum eandem curet omnisque religionis contemptor sit; alii ad majores superstitiones progrediuntur, dum insuper omnium sectarum etiam in ipsa Christiana religione, peculiare significatores quærunt, easque ex astris prædicere temere & impie satagunt. Inter Recentiores quidem Astrologos plurimi hisce ineptiis, religione adducti, se valedicere profitentur, & paulo cautius procedunt, frustra que religiosos & sanctos ex sideribus quæri ajunt, cum majus quid hoc sit, quam cæli promissa polliceri possint; Interim nimium adhuc vaticinandi ex astris studio addicti, erroneaque cui adstipulantur, religione, etiam seducti, liberius de religione aliorum, imprimis Lutheri ex astris judicant, & dum videri volunt, se in sua Astrologia rejectis rejiciendis ea solum delegisse, quæ rationi, religioni & experientiæ consona sunt, sæpissime tamen eos in rebus etiam ad religionem pertinentibus hallucinatos fuisse, nec ab impietate quam tamen verbis detestantur, prorsus liberos esse, compertum est; Siquidem dum motus saltem quosdam & inclinationes in homine ab astris produci verbis testentur, peculiare tamen eventus adducunt, quos tam certo & infallibiliter connexos cum astris statuunt, ut non solum simplicem inclinationem, sed etiam aliquid majus sonent. Quod cum mecum expenderim, mihi que ex mandato Superiorum injunctum sit, ut hanc secularem festivitatem, quæ in memoriam summi illius beneficii, toti cœtui Lutherano à Summo Numine ante bina secula præstiti, celebratur, vel disputatione vel oratione celebriorem reddam, judicavi, & à mea professione, & ab eo quod nunc agitur negotio non prorsus alienum esse argumentum, si disputatione quadam considerem vana illa Astrologorum conamina, quibus ex cæli constitutione de religionibus judicium ferre earumque origines & fata ex astris repetere temere ausi sunt. Faxit DEUS, ut omnia feliciter cedant.

§. I.

**I**ngens illud humanæ menti inditum sciendi desiderium, relicta vera & salutari scientia, sæpe ad vanas potius aut noxias, illas præsertim, quæ futurorum etiam extra humani ingenii limites positorum, notitiam pollicentur, prolapsum fuisse, historiarum monumenta docent. Hinc ortæ tot artes, imo vanitates & superstitiones ad cognoscenda & rimanda arcana & futura, ut variorum divinationum generum vel sola nomina horrorem incutiant piis auribus. Nimius esset, qui omnia hujusmodi deliramenta vellet recensere, & quomodo homines divinationis avidi, istis suis geris speciem quandam authoritatis ac decoris conciliare annui fuerunt, docere. Quam stulte quidam in elementis plantis, brutis, ejusmodi divinitatis radium quæsiverint, aliisque inconditos  
phan-

phantasmatum in dormientibus motus, ut leges prudentibus vigilantium actionibus præscripserint, videre licet apud SCOTTUM in *Thaumaturgo Physico sive Magia Universali natura & artis P. IV, p. 541. seq.* item in BOTSACCI *moralibus p. m. 306.* Uti autem valde delirarunt prædicti divinationum Sectatores, ita paria ipsis fecerunt illi, qui ex Astrologia olim à Chaldæis, Ægyptiis, Arabibus aliisque infidelibus exulta, & ad impios Christianos propagata, non veriti sunt, cum Dei & hominum offensa, per horoscopos, directiones, revolutiones & transitus, imprimis per Eclipticas Solis & Lunæ conjunctiones & oppositiones, quas actuosissimas semper magnæque virtutis & efficaciam esse crediderunt, non solum multa infusa & ridicula de pluribus aliis rebus, sed etiam de religione ipsa ejusque fati prædicere, & non corpora solum hominum, sed etiam animas, earumque actiones, fatalibus stellis astringere, ut S. LEO Epist. 7. loquitur, ausi sunt, quam Astrologiam merito Tertulianus Idolorum cultricem agnoscit, & Astrologos vocat *Idololatrias*, qui divinos stellis honores tribuunt, dum hominum fata ab iis pendere censent, unde maximam affinitatem Magiam inter & Astrologiam esse dicit: Et mox addit: non potest regna cælorum sperare, cujus digitus aut radius abutitur cælo. Vid. *Lib. 9. de Idololatria.* Sanctus CHRYSOSTOMUS in sex homiliis, quas in fatalitatem, quæ ab astris esse creditur, composuit, dicit: Astrologos esse providentiæ calumniatores, nullum esse peccatum majus. Ad hæc nefanda pertinent, quando Albumazar asserit: eum à Deo quicquid voluerit, obtenturum, qui Lunam Jovi conjunctam, & caput Draconis in horoscopo habuerit, quod confirmat Petrus Aponensis, qui se ideo in scientiis profecisse asserit, quod sibi sub tali siderum situ & congressu eas à Deo postulasset, quasi vero precum efficacia à sideribus dependeat! Nec minus eorum Astrologia fuit impietatis referta, qui Venerem, ajunt, conferre præsentis vitæ felicitatem; Jovem autem futuræ, tum ejus, qui Saturnum habuerit in Leone, animam post hanc vitam in cælum migrare, quod statuit Firmicus Maternus. Sed quid mirum, quod inter Astrologos præsertim Orientales Ethnicos, tales impii taliaque execranda dogmata reperiantur, quoniam Diabolus nugis ac superstitiosis ejusmodi vanitatibus pascit eorum ingenia. Ptolomæus religio-

nes causari & ortum ducere docuit ab astroꝝ & signoꝝ influentiis, quod patet ex c. 2. Lib. II. *Quadripart.* ubi nationum mores & religiones diversas deducit ab astris & signis Zodiaci per horum Trigonos, quibus terræ loca distribuit. Dividit nempe terram in 4. quadrantes, & ex illa divisione non solum incolarum terræ temperamenta, mores & ritus, sed etiam religiones deducit; Et cum sub secundo quadrante sitam Asiam putaret, de istorum populorum religionibus auguria capit, quod nempe colant Venerem, Solem, Saturnum; Et de reliquorum Quadrantum incolis similiter judicat; quam distributionem Ptolomæi, alii Astrologi gratis sine omni fundamento factam agnoscunt, & pro meris figmentis habent, vel ideo, quia absurdum, imo blasphemum sit, falsas religiones & cultus erroneos atque fictitios adscribere cælo ejusque influxibus. Cardanus non solum in *Supplem. Ephemeridum* c. 22. assentitur Albumasari, qui religionem Judaicam à Saturno, & Christianam à Jove & Mercurio esse contendit, cujus sententiam THEOPHILVS RAYNAUDUS in *Erotematibus de bonis & malis libris* tanquam atheismos & magicæ impietatis propudia abominatur; sed etiam in *Lib. de judiciis genitur* C. V. cum de arcu directionum, quem significatores ad promissores habent, dimetiendo agit (quam mensuram inter arcana & mysteria artis Astrologicæ referunt juxta Morinum, multi Astrologi, non secus ac mysterium Trinitatis in Theologia, sed pudeat Christianos, vanissima & superstitiosa artis fictitiæ mendacia cum tremendo hoc mysterio divino comparare) effectus distingvit, qui ad hunc vel istum hominem pertinent, ab illis, qui pertinent ad imperia, regna, urbes, religiones sive sectas, cæterasque mundi insigniores mutationes, atque vult, quod dum planetæ diriguntur tanquam promissores in figuris ad initia religionum & sectarum constructis, tum de progressu interitu & duratione Religionum judicari earumque fata prædici possint. De CHALES in *mundo suo Mathem.* P. IV. p. 664. refert de duobus Astrologis, qui Zitæ Principi Arabi prædixerint ex astris imperium, si modo Christianorum Ecclesias everteret, eorumque religiones funditus aboleret, quod quidem pro virili exsequi conatus est, sed intra annum mortuus sit. Ibidem legitur de Albumazare, quod ex astris impie prædicere ausus fuerit fore, ut religio

gio

gio Christiana non ultra magnum Solis annum! duratura sit; intelligebat autem per magnum annum tempus, quo annus Ægyptiacus ad idem tempus revertitur; progreditur autem per singulos quaternos annos per unum gradum in antecedentia, continet ergo tempus ab Albumazare prædictum, mille quadringentos & quinquaginta annos. Ast ab illo tempore, quo de Christo nato prædicari cœptum est, jam per Dei gratiam tria fere secula elapsa sunt, ultra tempus ab Albumazare præfinitum, in quibus religio Christiana incrementa cepit maxima. HENR. MACLINIENSIS quidam juxta de CHALES *l. c. p. 668.* in ea fuit opinione: Noachum ideo ab universali naufragio fuisse liberum, quod arcam suam ad instar asterismi cœlestis australis, qui argo navis sive Navis Jasonis vocatur, construxisset. Quæ omnia ita sine ratione dicta sunt, ut ne umbram verisimilitudinis habeant. Siquidem imagines illæ cœlestium siderum, ab hominibus & gestis Ethnicorum, præsertim Græcorum fabulosis narrationibus suam originem maximam partem trahunt, & nefandum atque impium, talia, quæ jussu divino in scripturis facta esse dicuntur, & non sine maximo miraculo contigerunt, sideribus eorumque fictitiis imaginibus adscribere velle. Anno 1353. ARNULPHUS de Villa nova, Hispanus Astrologus, adventum Anti-Christi eo anno futurum prædixit, quem Pontificii ipsi deriserunt; Et cum anno 1414. Ecclesia Pontificia schismate sub tribus Pontificibus laborasset, astrologi quidam æternum illud diffidium fore ex stellis augurati sunt, sed vanas fuisse commentationes & deliramenta omnes has prædictiones, eventus docuit.

§. II. Si Origanum evolvimus in *Astrologia naturali*, is quidem secutus CARDANUM, HALY & PTOLOMÆVM cæterosque, multa huc pertinentia annotavit, eorumque doctrinam & placita in multis approbavit, nam pag. 127. seq. ubi agit de statu hominum, quem omnino per cœlestem quandam & occultam vim determinari & significari credit, Jovi res politicas & Ecclesiasticas, Cardinales, Episcopos, Theologos subjectos, ejusque imperio regi statuit, & considerando statum religionum & sectarum, p. 129. opinatur cum Cardano, religionem Judæorum regi & significari à Saturno & Mercurio; Christianam, à Jove & Sole, non modo quod

Solis diem colant Christiani, ut Judæi Sabbathum propter Saturnum, sed quod magis candorem & veritatem ament, quam aliæ sectæ. Turcarum, Tartarorum similiumque Tyrannicarum gentium religionem significari putat à Marte, cui adjungitur Venus vel Luna. Pag. 299. ubi in C. XVII. de religione nati agit, ex CARDANO & aliis refert; Planetas in IX. domo & huic opposita III. versantes, significare religionem, & Jovem esse consignificatorem IX. domus, in qua si significatores feliciter ponantur, denotari religiosum; si infeliciter positi, atheum, contra religionem disputantem, hæreseosque suspectum. Si signum IX domus fuerit vel mobile, vel commune, & Dominus ejus planeta maleficus, debilis & retrogradus, impium & inconstantem in religione denotari. Saturnum, Martem & caudam Leonis in Capricorno & Scorpione significare religionem depravatam. Tradit ibidem regulas, tam de pietate quam impietate, juxta quas de devotione & studio religionis, vel etiam de contemptu ejusdem & simulatione judicari possit; exempli loco affert genituram Illustrissimi Principis JOHANNIS GEORGII Brandenburgici, cujus pietas & studium religionis à subditis grata recolatur memoria, qui habuerit in IX. domo Solem & Mercurium partemque fortunæ in signo Virginis, religioni accommodatissimo, &c. Plura ibidem absone legere licet. Quorsum etiam referri potest, quando ORIGANUS *c. l. p. 142* cœli positum attendi vult tum, quando aditum paramus ad personas in dignitate constitutas, ut observemus tempus apte cum illis conversandi. Si religiosi & in officio Ecclesiastico constituti à nobis sunt compellendi, cavendum dicit, ne Saturnus & Mars in aliquo angulorum existant, sitque Luna male affecta; compellendos vero religiosos, Episcopos, Theologos vult, luna Jovi juncta vel aspectu benefico rrigoni, sextilis, vel alteri loco cœli bono annexa. Si cum ingeniosis hominibus, Cancellariis, &c. aliquid sit tractandum, volunt aspiciendum & eligendum Mercurium in masculino signo constitutum. Qvis etiam non admiratur stultum & absurdum JUNCTINI circa instaurationem FLORENTIÆ judicium *Comment. in C. VII. L. IV. Ptolomei p. 815.* ubi ex figura erecta ad momentum, quo primus lapis à tribus Episcopis benedictis coram universo Magistratu jactus fuit, judicat de moribus, ingenio, religione, divitiis & gloria Florentinorum. §. III.



§. III. MORINUS celebris Auctor in Astron. Gallica multis quidem in locis ea, quæ ex mente Astrologorum, imprimis Ethnicorum de effectibus Stellarum circa religionem adducuntur, maximam partem pro impiis & vanis hominum superstitiosorum commentis & nugis habet, & talia commenta Philosopho Christiano indigna esse judicat, putatque, ejusmodi superstitionibus, atque ex falsis principiis deductis canonibus & regulis, magnam labem ab Ægyptiis & Chaldæis huic scientiæ Astrologicæ fuisse adpersam; Cum tamen hanc scientiam Physicarum scientiarum altissimam & divinissimam vocare non veretur, in qua reperitur aliquid, quod mirari potius, quam intelligere concedatur; Igitur langventi medicam manum admovere, veterum hallucinationes emendare prorsus, germanaque ejus principia tradere, eamque ut aliarum scientiarum augustissimam & utilissimam, ut vocat, vero suo nitori & decori restituere, summopere allaboravit. Nihil jam dicam de plurimis aliis commentis MORINI, quando p. 449 ex causis Physicis & Astrologicis deducere fatagit, Septentrionales populos, utpote quibus præcipue dominetur Luna, præ cæteris magia & præstigiis esse infames & periculosos; imprimis nihil nunc dicam de iis, quæ de gladio Magico GUSTAVI ADOLPHI, gloriosissimæ memoriæ Regis Sveciæ, assertoris religionis Lutheranæ & defensoris veritatis Evangelicæ strenui; falso immiscet & vesana temeritate adstruere conatur, de quo vide doctissimam Disputationem Viri summe Reverendi DN. WALLIN, doctoris Theologiæ Celeberrimi, & orthodoxias laude maxime conspicui Regiæque Acad. Upsal. Bibliothecarii meritissimi, ante binos circiter annos Upsaliæ habitam anno 1728. cui titulus: *Refutatio commenti de Gladio Gustavi Adolphi magico* tribus partibus constantem, in qua Morini calumniis atque contumeliis, quibus impudenter religiosissimum Regem onerat, abunde satisfactum fuit, præcipue in Part. III. Disp. Prætereo quoque ea, quæ hinc inde refert de prælio illo insigni Lutzenensi, sed infausto & lethali, in quo, ut putat Morinus, gloriosissimus Rex ob malignum ipsique lethalem, cœli positum per astra efficacissime, ut loquitur, præsignificatum, vitam morte violenta terminare, & non fortuito, sed NB. providentia fatali, die sibi cœlitus infelicissima, occumbere debuit, insimulque

mulque Regi Optimo & non solum fortitudinis, sed etiam non fucatae pietatis laude apud omnes Evangelicos Germanos clarissimo religionisque Lutheranae amantissimo, temere & non sine insigni mendacio & contumelia tribuit, quod ab aliquo nebulone vel Astrologo vel Mago, gladium istum magicum emerit, eoque sibi perpetuas victorias parari posse crediderit, sicque adeo se decipi à Diabolo ejusque ministris passus sit, relicta naturali via praevidendi ex astris. Quorum omnium aliorumque plurium vaticiniorum & commentorum moles falsis principiis & vanissimis fundamentis innixa, sua mole & pondere ruit. Illud saltem nunc attingam, quod ad praesens negotium pertinet, ubi disquiritur: Utrum à planetarum conjunctione siderumque positu & influxu derivari & praedici possint ea, quae ad religionem ejusque fata & mutationes spectant. Ubi quidem Morinus protestatur & negat, se cum aliis Astrologis Christianis talia dogmata unquam approbasse, quae religioni Christianae sunt contraria, aut ullo modo libertatem arbitrii tollunt. Sed quod dudum jam Alexander de Angelis de nonnullis Astrologis Christianis affirmavit: illos esse vulpes vaferrimos, quod dicant, se equidem libertatem arbitrii confiteri & non evertere, ut nempe sacrorum Doctorum retia queant eludere; ast quia eandem profitentur astrologiam, quam veteres Aegyptii, Chaldaei, Arabes & Indi, iisdemque utuntur observationibus & praecipis, eademque astra observant, inde, ait sequi, ut libertatem in multis è medio tollant, sicut fecere gentiles illi, qui fatalem introduxerunt necessitatem, ita, ut quantum suae arti certitudinis genethliacae adstruunt, tantum ex liberis voluntatibus detrahere videantur; illud utique de Morino quoque non solum in aliis actionibus humanis multis, sed etiam in iis, quae ad religionem spectant, observare licet, quando non solum in quibusdam locis, fata Pontificiae religionis, cui addictus est, in hac vel illa persona ex astris metitur & suspendit; sed imprimis religionem Lutheranam, Calvinianam & Mahummedanam, quas pro falsis habet, astrorum influxibus subjicit, earumque ortum ex caeli constitutione efficacissime homines impellente, derivat, multaque erronea hinc inde ex falsis suae religionis principiis immiscet in divinam bonitatem & sapientiam injuria & impia, atque sic

ex

ex Astrologia Veterum, qui religione Turcæ vel Ethnici fuerunt, retinet, quæ retineri non possunt, nisi eorum exemplo humanæ mentis libertas quodammodo infringatur; imprimis dum ipsemet fatetur p. 488 non appetitum solum sensitivum per se subesse fato astrologico & moveri ab astris; sed ipsum etiam appetitum rationalem à causis illis cœlestibus in sua quidem actione dependere, saltem ut à causis sine quibus non agit; ut adeo planetæ nati cujuslibet actiones afficiant per vires suas influentiales, & his dominantur, ac bonas aut malas, vel felices aut infelices efficiant, prout ipse planeta fuerit natura beneficus aut maleficus, & bene aut male affectus. In præfatione *Astrol. Gallicæ P. XX* distingvit inter religiones veras & falsas; veras dicit esse tres, vel potius unam perfectionis gradibus distinctam nempe *naturalem, scriptam & gratia*, quas à solo Deo datas esse asserit; Falsas distingvit in eas, quæ à Diabolo sunt suggestæ, quas corporibus cœlestibus tribuere non vult; & quæ ab hominibus efficiæ, juxta Auctorum propensiones nativas & proprias, ab astris in sua genesi acceptas, huc refert MAHVMEDEM, LUTHERUM, CALVINUM & alios, qui religiones sibi effinxerint suis nativis & ab astris inditis propensionibus, congruas. Has per accidens quidem referre ad corpora cœlestia, quæ MAHVMEETHI & LUTHERI mores significarunt, nullum inconueniens esse dicit; alibi tamen ita se explicat, ut fatalem quandam necessitatem ab astris hic induci concedere videatur. Nam p. 506 asserit: à constitutione cœlesti fatalis subjectionis statum imprimi. p. 534 seq. loquitur de bellis & sectis, quarum causæ in cœlo vigeant, talium effectuum semina effundentes, ut rarius frustentur effectu, quia non deerunt nebulones ad bella propensi, præsertim cum producat, vel jamdiu productos excitet & moveat constitutio, ac sufficiat unus homo ad sectam & schismata in mundo concitanda, ut illud patere ait ex MAHVMETHE, LVTHERO, CALVINO, huc refert homines ad generis humani depravationem, perniciem & reformationem cœlitus afflatos. p. 632 ait: revolutiones solis agere, juxta figuræ radicalis significata etiam in rebus spiritualibus, pro quibus cœlum convenientissime est dispositum; conceditque radicalem figuram fatalem inducere necessitatem quodammodo, sed cum maxima difficultate mutabilem. Nam p. 450 Mo-

B

narchias

narchias subjici statuit soli præsertim, tum Marti atque Jovi; Qui igitur Reges habent Solem, Jovem & Martem feliciter constitutos in genesi, de eorum regno felicia esse auguranda, & ad Jovem quidem referri dicit justitiam & religionem, quæ sint primariæ partes regnandi; Et quod singulæ monarchiæ plerumque religione differant hoc inde p. 451 deducit, quia Reges juxta naturalem suam propensionem propriumque genium à cœlesti constitutione genethliaca receptum, agant; item, quod homines vel suggestæ à Diabolo religioni, vel effictæ juxta proprium genium Martialem, Venereum, &c. sese mancipient, ob essentialem mentis humanæ propensionem ad cultum divinitatis, & influentialem vim à proprietate domus nonæ in figura natali hominis. Et quamvis videri velit, se falsas solum religiones & ab hominibus effictas subjicere astris, factò tamen contrarium ostendit, & veram etiam religionem imperio astrorum subesse ostendit, nam p. 627 seq. ubi de hominibus loquitur Pontificiæ religionis, quam unice veram esse putat, ex erecto themate natalitio & revolutione Patris CAROLI de CONDREN, Præpositi Generalis docet: per cœli constitutionem & influxum, ad religionem amplectendam & propagandam fuisse Virum Dei excitatum, *cunctis*; inquit, *inesse à natura propensionem ad cultum divinitatis seu religionem, quæ ad nonam domum refertur. Et nos in multis rebus voluntariis circa religionem, pietatem, statuto tempore ab astris excitari, non minus quam ad ambitionem, cædes, fornicationes cæteraque vitia, prout bona vel mala fuerit constitutio, adducit exemplum Patris de CONDREN ad religionem & pietatem egregie nati, in cujus revolutione potentes dicit se combinare in nona & tertia domo, significatores propensionum professionis & religionis, ut fuerit causa naturalis & valida, cur Vir Dei decreverit religiosam inire professionem. Et p. 630 dicit: Spicam Virginis beneficentissimam pro moribus in horoscopo, & horoscopi dominam Venerem cum Jove & Sole in tertia domo, extraordinariam pietatem ac religionis cultum in anno revolutionis influxisse & natum inclinasse ad vitam religiosam, quæ pietatem maxime profitetur; adjicit etiam, hoc exemplum ideo ab ipso adduci, ut os iis occludatur, qui in rebus divinis nullas esse volunt naturæ partes. Quæ tamen Scripturæ Sacræ prorsus non sunt consona, sed ex falsis religio-*

ligionis Pontificiæ principiis fluunt, ac si homo naturalibus viribus aliquid in rebus spiritualibus possit efficere, & liberum hominis arbitrium post lapsum non amiserit facultatem aliquid cooperandi ad sui conversionem, cum tamen peccatum Originale omnium virium in homine corruptionem induxerit, & homo in sua conversione mere & pure passive se habeat, vid. Theologos. Præterea omnia ista judicia MORINI, quæ de religione ex astris format, inanium opinionum fomenta sunt & delectamenta, nullo fundamento innixa, & impia mente de B. Luthero pronunciat, quod sibi effinxerit religionem nativis propensionibus ab astris impressis, congruam, si quidem B. MEGALANDER non effinxit novam religionem, sed veram religionem in sacris literis diu revelatam à sordibus & tenebris papalibus repurgavit, & Deo fortiter adjuvante, in claram lucem reduxit; Fuit enim primus & præcipuus doctrinæ purioris, per Dei gratiam, contra Papatum, vel regnum Antichristicum repurgator & restaurator, perque Dei gratiam & admirandam providentiam, ut talis, per omnes vitæ suæ dies, contra tot hostes, contra tot Satanæ machinationes, Romani Pontificis, omnium Cardinalium, Episcoporum, & aliorum Prælatorum contradictiones, contra tot Imperatorum & Summorum Regum & Principum persecutiones & alias quasvis clandestinas & manifestas molitiones, conservatus est; Et mirum si pudore non suffusus fuit MORINUS, quod vas illud electum Dei B. LUTHERUM cum Mahumede & Attila conferre non erubescat. Quæ vero est tam impudentis & impii iudicii ratio? Certe nulla alia, nisi ut LUTHERI veri nostri temporis Eliæ & Salomonis novi, honori & gloriæ invidet, malevolumque suum erga tantum Virum, qui sectæ Antichristicæ horrendas abominationes feliciter detexit, verique divini cultus acerrimus vindex & religionis Christianæ indefessus propagator extitit, animum declaret, quem tamen merito totus orbis Christianus, ut virtutis & doctrinæ salutaris exemplar veneratur, dum communi omnium hominum utilitati & commodis ad æternæ salutis adeptionem ac Summi Numinis gloriam se consecravit. Influxibus cœlestibus stellarum cum religione quam B. LUTHERUS restauravit, nihil fuit commercis. Inter causam & effectum proportio esse debet; nulla autem

inter religionem & planetarum dispositionem, positum, & situm in hac vel illa domo, est proportio. Cœlum & astra in res spirituales, ad quas religio pertinet, agere non possunt. Res enim spirituales longe altioris, superioris & eminentioris sunt ordinis, quam substantiæ corporeæ, pati ergo ab his istæ nullo modo possunt. Omnis enim actio passionem veram inferens procedit, ut Philosophi loquuntur, à proportione majoris inæqualitatis, i. e. fundatur in excessu agentis supra patiens. Atqui materialia non tantum non excedunt spiritualia activitate sua; sed ne quidem illis paria sunt, imo multo inferiora, & nulla inter res materiales & spirituales proportio, cum longo nobilitatis intervallo distent, & ab omnibus concedatur, agens necessario debere ipsi patienti proportionari; cum vero cœlum non sit spiritualibus proportionatum, utpote materiale, in illas agere nequit; corpus quippe non potest per se nisi corporeum producere effectum, secus effectus toto genere nobilior foret efficiente proprio. Cum ergo animæ ejusque facultatum nempe intellectus & voluntatis operationes materiales & corporeæ non sunt, nec in has operando, nec quid ipsis imprimendo, agere potest cœlum, subiectum enim spirituale, eminentioris utpote ordinis, effectus corporei est incapax; Præterea actiones voluntatis sunt liberæ, à cœlo ergo quod uniformiter & necessario agit, & ad unum agendum ex se semper determinatum est, actiones liberæ & contingentes dependere, atque adeo cognosci & præsciri neutiquam possunt, dum actiones liberæ à causa libera & indifferente ad utrumvis, non à necessaria profluunt. Accedit quod B. LUTHERI religio ab innumeris diversarum propensionum hominibus sit recepta, proindeque illi adhuc hoc tempore à causis cœlestibus regi, iisque subjici deberent, eademque cum LUTHERO cœli constitutione gaudere, si religio Lutherana ab imperio cœli dependeret; Sed anne omnes Lutherani eundem horoscopum cum LUTHERO habent? Quis risum contineat, & quis nisi amens sibi persvadeat, tertiam & nonam domum significare religionem? quæ gratis finguntur. In domorum constructione fundatur fere omnis ars Astrologica; circa eam vero magnum est dissidium. Quomodocunque ordinentur, habent tamen easdem significationes, eadem nomina. Dantur autem

tem

tem variæ methodi: *Æquabilis*, *Ptolomæo* & *Chaldæis* usitata fuit, quando divisio fit è polo Eclipticæ; alia est methodus à *Longomontano* adhibita, & vocatur *rationalis*, ubi divisio fit è puncto interfectionis Meridiani & Horozontis, dividens *Æquatorem*. *Campani* difficilior est, dividens verticalem primarium. Quis litem hanc dirimet circa methodos? Dicunt, *rationalem* esse magis conformem, sed tamen *Chaldæis* non fuit usitata. Si ergo illorum methodus observationibus respondit, & ab experientia suam habuit originem, hæc discrepabit. Et cur non alia eligitur methodus? Deinde si religio dependet à cœli constitutione, cur hominum eundem horoscopum habentium, non solum naturæ indoles est maxime differens, sed studium quoque & amor, quo feruntur in religionem Christianam, vel amplectendam, vel defendendam diversus? Esau & Jacob habebant eundem horoscopum, reliqua momenta thematis etiam conveniebant, quorum tamen vitæ ratio non solum erat dissimilis, cum diversissimis essent moribus, diversissimaque subirent fata, sed etiam quoad cultum religionis maxime differebant, cum Esau esset contemtor legum divinarum, parumque de religione vera, quæ pro fundamento Messiam promissum habebat, sollicitus. Nec est, quod hic aliquis forte cum MORINO in *Pref. Astr. Gall.* objicere velit: in nativitate Esavi & Jacobi forsitan contigisse, ut *Esau* egressus fuerit ex utero, horoscopante ultimo alicujus signi gradu, *Jacobus* vero in egressu habuerit in horoscopo sequentis signi primum, secundum vel tertium gradum, unde factum sit, ut diversos habuerint diversorum signorum Significatores & Dominos, & per consequens etiam diversa temperamenta, & ingenia. Hæc enim frustra dicuntur, & sine ullo fundamento; Et cum frequentissime fiat ut gemelli nati quoad mores, temperamenta, & vitæ fata sint maxime dissimiles, sequeretur tum, unum gemellorum in nativitate habuisse ultimum alicujus signi gradum in horoscopo; alterum habuisse in horoscopo primum vel secundum sequentis signi gradum, quæ omnia dicis causa ita finguntur; cum alias ipse MORINVS concedit; Si gemelli nascuntur sub eodem signo horoscopante, quod tum maxime, quia habent eundem signi unius Dominum, pro sui temperamenti, morum, fatorumque Significatoribus, etiam in his sint similes & inter

se consentientes. De *Esa*vo & *Jacobo* constat, quod cum *Esa*u egrederetur, *Jacob* fratris plantam pedis manu tenuerit, Gen. XV. 26. ut adeo intervallum temporis nullum vel plane exiguum inter egressum utriusque fuerit observatum, & amborum hinc eadem fuerit cœli dispositio, uti communiter creditur, cum tamen inter amborum mores, facta, labores & successus, maxima fuerit dissimilitudo, & primogenito ortum fuisse ultimum gradum unius signi, frustra dicitur. Verosimile maxime, ambos geminos fuisse ortos eodem signo horoscopante. Si vero ab aliis forte prætendantur diversa nativitatis momenta, tum regeri posset: Si in instanti cœli influxus mutatus esset, cur non aliud fatum ejusdem hominis pedes, aliud caput sortiuntur, cum constat, successive egredi foetum, & in instanti integer homo edi non posset. Et si spatium illud momentorum exiguum, quo nativitas *Esa*vi, *Jacobum* antecessit, tantam in moribus, ingenio, imo ipsa religione inducere potuit diversitatem. ut voluit etiam in hoc exemplo ipse MORINVS, quid quæso fiet; si circa plurima temporis momenta error fuerit commissus in figura cœli construenda? Et nihilominus definire volunt, quid & quantum cœlum cum suis influxibus efficere circa mores fingendos, & fata determinanda valeat, cum tamen naturaliter vix fieri aliter possit, quam ut temporum minutia adeo accurate comprehendi nequeant. Quis enim accurate genitalis horæ minuta indagare poterit? Neque enim instrumenta huic negotio perficiendo exacte idonea, ubique sub hora nativitatis præsto sunt, ad observationem hanc sive interdiu ex sole, sive noctu ex stella fixa instituendam. Vel si instrumentum quoque omnibus numeris absolutum [quod rarissime habetur] adfuerit, id nec ob tenebras noctis, cœlumque sæpe nubibus obductum, applicari, nec adeo etiam siderum positus scrupulose satis semper comprehendi, calamoque stellarum loca subduci rite poterunt, cum tabulæ quoque non semper accurate sint constructæ. Minutias autem temporum necessario observandas esse volunt ob maximam constellationum in singula momenta varietatem, propter rapidissimum astrorum motum. Etsi autem ista omnia exacte sint constituta, ut nullus etiam error commissus sit, quod fere impossibile videtur, nondum tamen omnium stellarum vires



vires exacte ita sunt cognitæ in particulari, cum earundem cognitio ex nuda experientia dependeat. Quis vero per experimenta non fallacia intelligit, quid hæc vel illa cœli siderumque constitutio circa hæc inferiora valeat. Experientia ex pluribus observationibus petitur. Tantum vero abest, inquit ROHAULTUS in *Physica p. m. 313: Astrologos pluries observasse, quid parere apta nata sit dispositio, quam crastina die in cœlo habitura sunt astra, ut asserere liceat, ne minimam eos producere posse observationem, cum plurima millia annorum requiruntur, quo bis eadem observatio instituat de tali astrorum constitutione, quam quis fingere velit.* Hinc adstruere licet, constitutionem cœli crastina luce futuram, à creatione mundi nondum visam esse; nam astra nunquam eundem situm inter se obtinent, nisi forte post multa annorum millia, sive post annum Platonicum magnum ita dictum. Vana ergo sunt omnia, quæ circa religionem ex themate prænunciari posse credunt. Quis inficias ibit, eadem hora, qua B. LUTHERUS lucem aspexit, fuisse plures pueros natos, qui eundem horoscopum forte habuerunt cum LVTHERO. Quis vero unquam audivit ab alio, LUTHERO coævo, tanto zelo ac successu religionem contra tot insultus Diaboli totiusque regni tenebrarum, fuisse propagatam ac à LUTHERO? Ergo hic alia causa, eaque supernaturalis & extraordinaria militat, cum qua astrorum influentiis nulla connexio. Imo robustissimum argumentum pro arguenda astrologorum vanitate inde depromimus, quod eosdem sæpe eventus unius personæ ex diversis horoscopis præfagiant Astrologi, cujus rei luculentissimum exemplum relatam legimus de B. LUTHERO nostro; CARDANUS enim & GAURICIUS peritissimi illi Astrologi & acerrimi Astrologiæ defensores, ex horoscopo LUTHERI, eosdem plane eventus, eademque religionis fata indagarunt, licet in cœli dispositione & tempore natiuitatis prorsus non concordarent, sed integri anni spatio discreparent. Bene de his Doctissimus de CHALES Pontificiæ religioni addictus in *Mundo Mathem. P. IV. p. 658* iudicat: *Ex his, inquit, videas, quam facile in omnem sensum & eventum accommodari possit, tota hæc Horoscoporum doctrina. Tot enim continet præcepta, tam diversa inter se & pugnantia, ut quicquid volueris sis eliciturus, nempe idem ex diversis.* Certe præcepta Astrologorum, uti in cæteris multis prædictionibus,

bus, ita imprimis circa religionem, ita levibus & fere ridiculis nituntur fundamentis, ut eadem recensere Viros doctos pudeat. Siquidem CARDANUS & GAURICIUS in prædictionibus de B. LUTHERO mire conveniunt, cum tamen diem & horam nativitatis diversam in themate assumerint. Ipsa Mater LUTHERI etiam, teste PHILIPPO MELANCHTONE, de die natali filii sui incerta fuit, nam ita in additionibus sive Libri primi parte altera SECKENDORFFII de *Lutheranismo* p. m. 36 legitur: *Annus natalis LUTHERI usque quaque certus non est, ut scribit MELANCHTON his verbis: Mater LUTHERI mihi aliquoties interroganti de tempore, quo filius natus est, respondit, diem & horam se certe meminisse, sed de anno dubitare; adfirmabat autem, natum esse d. X. Nov. nocte post horam XI; sed frater ejus JACOBUS, opinionem familiæ de ætate fratris hanc fuisse dicebat: Natum esse à natali Christi 1483. Nihilominus REMONDUS diem XXII Octob. præfert, ut malitiosi Astrologi cujusdam JUNCTINI calumniæ fidem conciliaret, qui ex horoscopo illius diei, ingenium LUTHERI miris modis infamare voluit. Hunc ISAACUS MALLEOLUS, Prof. Mathem Argentoratensis anno 1617, edita dissert. de *Genitura Lutheri*, refutavit. Eadem ex causa TYCHO de BRAHE in *Progymnasmat.* p. 455 seq. perstringit THEODORUM GRAMINÆUM hostem LUTHERI infensum, quod vetera aliorum vaticinia replicare, & contra LUTHERUM ejusque asseclas odiose interpretari, atque genethlicam cœli constitutionem à GAURICO & CARDANO præjudicio temerario expositam, advocare voluerit, cum uterque perperam natalitium LUTHERI tempus, una cum superstructo huic cœlesti themate designarit, & ambo novendecim dies anticipando aberraverint. Quos Astrologos cum sibi non temperaverit GRAMINÆVS judicio inconsulto sequi, inde apparere ait TYCHO, quam inepte & imprudenter LUTHERI genethliacam constitutionem (quæ talis non erat, veluti ab istis, quos citat Astrologastris, proponitur) hisce, ut suum virus evomeret, immisceat, sicque seipsum & alios talia comminiscens, ludibrio apud intelligentes exponat. Et cum juxta CARDANVM in themate LUTHERI, directio ascendens ad conjunctionem Martis, pertingat juxta annum ætatis 51, LUTHERVS vero duodecim annis ulterius supervixerit, ridet TYCHO BRAHE tam GAURICVM, quam ejus citatorem GRAMINÆVM, quod egregios scilicet Vates sese in hac causa præstiterint, aut*

quod

quod verius artis Astrologicæ abufum, pari malevolentia & iudicii vanitate conjunctum, prodiderint, ipseque GRAMINÆUS inique & malitiose, & ex frivola, & nullius momenti occasione, LVTHERVUM ejusque Contribules perstrinxerit & cavillatus fuerit. Postquam etiam GRAMINÆUS in Commentario suo de stella nova in CASSIOPEJA anno 1572 apparente, Saxoniam & reliquam borealem Germaniæ partem, Ursis & Draconibus, Catholicam Ecclesiam infestantibus, affimilasset; CASSIOPEJAM vero in Cathedra sedentem, Romanæ Ecclesiæ typum fecisset, cui asterismo proximi in cælo sunt Asterismi Urfa major & minor, item Draco, per quos intelligit typice GRAMINÆUS LVTHERVUM cum reliquis Lutheranæ Ecclesiæ Doctoribus, magno numero in Saxonia & boreali Germaniæ parte exortis, & Papæam Ecclesiam ejusque errores & abusus strenuo zelo una cum LVTHERO reformantibus, sicque adeo Cabbalistiche illufisset, saltem ut eos, qui se Evangelicos sive Lutheranos nuncupant, pungeret, & veræ Ecclesiæ hostes hominesque profanos esse, pronunciaret; Igitur TYCHO de BRAHE ingeniose GRAMINÆO hæc suas Cabbalisticas indicationes & nugamenta exprobrat. *Ridiculum est, inquit, si non magis probrosum, quod cum GRAMINÆUS doctrinam Pontificiam approbet, Ecclesiam tamen Romanam CASSIOPEJÆ, & sellam ejus Cathedra Pontificia comparet, cum CASSIOPEJA ob superbiam & arrogantiam, superumque despectum, cælo tributa dicatur. Si ista hieroglyphice exponendo, Romana, quam is tuetur, Religioni quadrent, utique non magno honore illam hæc ratione affecerit. Quare si tacuisset Gramminæus, rectius forte Pontificiæ Hierarchiæ consulisset.* Vid. TYCHO BRAHE *Progymnasm.* p. m. 453 seq. Cum tempore stellæ illius novæ de qua diximus, quæ anno 1572 in Cassiopeja apparuit, non deessent, qui putarunt, quod positus stellæ, religioni ac literis minetur; addit TYCHO BRAHE: illam figurarum dispositionem nihil per se influere, aut portentum aliquid habere; Et quando aliqui inducebant, quod stella illa Jovis jubar ab initio retulit, eam, quemadmodum & Jupiter ipse ab Astrologis putatur, statum Ecclesiasticum & religionem denotasse, atque religioni & doctrinæ singularem & insignem mutationem, ac piorum Doctorum interitus, in iis præsertim regionibus, quas Tauro, Arieti & Libræ subjiciunt Astrologi, denunciasset, respondet Tycho: Si tale quid ex occulta aliqua causa aliquis forte

C

con-

concedere vellet, hoc tamen certum esse, astrorum decreta in veram religionem & pietatem nil juris habere, cum hæ non ab ulla australi influenza, aut naturali lumine, sed solius Dei Spiritu & dispositione procedant. Qui igitur pios Doctores à joviali influenza & natura denunciari asseverent, illos pietatem & sapientiam, quæ à solo Deo hominibus impertitur, minus convenienter astris imputare; aut si id non velint, astrorum certæ influentiæ & minis frustra Dei peculiaria dona subjicere, immemores illius Jeremiæ: à signis cœli nolite timere. Vid. TYCHO *l. c.*, p. 424. Nempe ita est, turpiter sæpe se dant Astrologi cum suis prædictionibus ex astris factis, dum multa impudenter fingunt, suisque nugis & gerris fumos venditant, & vanitatem artis Astrologicæ undique produnt. Imprimis vero si astrorum operationes ad res spirituales ita extendant, ac si corpora cœlestia suis influentiis etiam agant in res spirituales, quatenus illæ religionem spectant, in plures nonnunquam errores circa doctrinam Christianam præcipitantur Astrologi, quod vel solum videre est in MORINO, è cuius Astrologia Gallica, sequentia, quæ huc pertinent, adhuc adduco, quando p. 264 dicit: *Cœlum suis influentiis agere in vires anime inferiores, quæ caro dicuntur; id fieri ab eadem bonitate & sapientia. à quæ D. Paulo datus est stimulus carnis 2. Cor. XII; unde in Epistola ad Romanos c. VII, ait: Condelector enim lege Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ in membris meis est, cujus hæc datur ratio in eodem Cap. ad Corinthios: nam virtus in infirmitate perficitur; Qui vult spiritum vincere, armat carnem in spiritu variis concupiscentis, unde Paulo dictum: sufficit tibi gratia meæ. Et quamvis propensio ad malum in genere insit hominibus omnibus ob originale peccatum Adami, tamen singulorum hominum propensiones speciales, ut quod hic sit proclivis ad iram, non sunt per se ab illa causa generali, sed ab alia particulari, nempe constitutione cœlesti in cujusque ortu, quæ plerisque est quartus hostis præter mundum, carnem & Diabolum, à quo non leves tentationes, nec levia mala excitantur.*

§. III. Circa hæc quædam nobis erunt observanda: Deum dicit, qui vult ut in nobis vincat spiritus, armasse carnem in spiritu variis concupiscentiis, id adscribit inter alia etiam influentiis astro-

astrorum, quibus Deus juxta suam bonitatem & sapientiam, ut loquitur, indiderit illas vires, ut propensiones malas ingenerent hominibus, indeque asserit: præter mundum, carnem & Diabolum, homines etiam ab astris tanquam ab hoste quarta, non ad levia mala excitari & tentari, & tales propensiones nativos ex constitutione cœli profluentes, alias fortes, alias debiles, alias medias esse statuit. Fortes faciunt Viros in vitiis claros, suntque firmæ constantes, quarum exercitium difficillime supprimatur; quibus propensionibus si consuetudo vel habitus ex frequentatis actibus acquisitus accesserit, tales vix ullam causam immutare posse statuit, quin data occasione erumpant in actus suæ propensioni congruos; Et per talem fortem impressionem influxibus astrorum adscribendam, & B. LUTHERO etiam in constitutione cœlesti sub primo natiuitatis momento inditam, fuisse hunc ita excitatum ad novam religionem introducendam, & ad schisma scilicet excitandum, ut illis suis propensionibus nativis & malis scilicet, reludari ipsi præter & supra naturam fuerit. Cum tamen tantum absit, si ita B. LVTHERVS ex mala impressione religionem novam effinxisset, ut bonitas inde & sapientia divina elucescat, quando planetæ suis influentiis homines ad actus pravos tanquam malorum Auctores & Ministri invitare & impellere dicuntur, ut potius impium & in divinam sanctitatem injurium infinitæque ejus bonitati contrarium sit, asserere: Deum astris talem vim indidisse. Nam quæ in hominibus datur congenita pravitas, corruptio atque propensio ad malum à natura, quæ etiam in regenitis non penitus destruitur, ut inde pugna carnis adversus spiritum continuo duret, minime tribuenda venit influxibus cœlestibus, quasi Deus, cui tanquam causæ universali, astra in suis actionibus, essentialiter subordinata sunt, tanquam causæ secundæ & particulares, influxum positivum in peccata habeat, qualem alias Calviniani Deo tribuere non verentur; quid enim ex illa sententia, quando astris inesse dicitur illa vis, qua tales influxus malignos effundunt in homines, quibus tam fortiter sæpe eorum voluntas ad mala inclinatur & incitatur, aliud sequitur, quam Deum esse peccati causam physicam, prædeterminantem quasi hominis voluntatem ad actus malos, prædeterminatione physica, eaque in-

trinfeca & vere effectiva, à qua determinatione nec BELLARMINVS alienus esse videtur, cum *Lib. 2. de amissione gratiæ & statu peccati C. 13 p. m. 174 sq.* scribit: *Deum non solum permittendo, sed etiam positive inclinando voluntates ad peccatum, concurrere; à quo sectæ suæ Promacho & Coriphæo, sine dubio MORINVS illum errorem traxit, positivumque influxum divinum ad propensiones malas homini ingeneratas, ita deinde explicat, ut non fiat immediate à Deo solo & exclusis causis secundis, sed ut immediate eum adscribat impressio- nibus corporum cœlestium, quibuscum ut causis secundis, Deus tanquam causa prima & universalis concurrat, cui proinde eadem numero actio merito tribuenda erit; siquidem in concursu illo divino cum causis secundis, quando plures causæ ad unum effectum concurrentes, sunt totales adæquatæ, sufficientes & completæ, diversi tamen ordinis & essentialiter subordinatæ, unius numero actionis productio, utrique causæ tam primæ, quam secundæ tribuitur.* Quando igitur MORINVS propensionem quæ est in homine ad malum, astrorum motui & influxui tribuit, omniaque in homine sibi naturaliter relicto, & imprimis illas ad mala inclinationes & tentationes, de quibus etiam ipse Paulus ut regenitus conqueritur, & talem concupiscentiam in carne sua habitantem, ad ἀνομίαν refert, ex siderum fluxu & positu metitur, non potest non Deum peccati Auctorem facere, siquidem astra tales influxus ex consilio & decreto voluntatis divinæ præstarent, imo Deo concurrente & coinfluente imprimerent, quod ipse MORINUS non negat, dum alibi cœli constitutionem in momento nati- vatis, ut aliquod Dei vel naturæ, aut potius divinæ providentiæ per causas naturales decretum fixum considerat, in quo naturali- bus characteribus nati fata sint exarata. Ponamus astrorum quen- dam in sublunaria influxum dari, qui non motui solum & luci, sed etiam alii cuidam occultæ qualitati tribuatur, in quantum hic in- fluxus ad debitum objectum trahitur, elementarem scilicet na- turam, & res terra nascentes, anni varietates, temporum vicissitu- dines &c. Quando autem MORINVS cum Astrologis limites exce- dit, & influxum astrorum ad ea refert, in quæ nihil tenet juris, nempe quando ad legem etiam in membris nostris repugnantem legi mentis nostræ & hominem captivitatem rapitur, ultra hemis-  
phæri-

phærium extenditur, quod assertum falsum & noxium, imo impi-  
 um; nam astra & cœlum cum materiale quid sunt, animam quæ  
 primarium subjectum concupiscentiæ pravæ est, non potest affi-  
 cere & movere, libertati quoque voluntatis humanæ astra impe-  
 rare nequeunt, eamque servam reddere; Et quomodo non im-  
 pium esset, *ἀλόγως* astrorum motui subicere animam. Habeant  
 suas vires sidera, principales tamen & proximæ causæ huma-  
 rum actionum, ut hæ illis subjaceant, & inde se sub peccatis ve-  
 nundatum esse Paulus, & id agere quod non velit, conqueri ne-  
 cessum habeat, saluari nequeunt. In effectus & actiones causa-  
 rum secundarum, uti omnium, ita etiam stellarum immediate &  
 simul cum iis juxta causarum constitutionem influit Deus, quam  
 cooperationem & concursum Theologi stylo Biblico omnipræsen-  
 tiam vocant, qua creaturis omnibus & illocaliter & efficaciter co-  
 operatur, & omnes astrorum motus aliasque actiones, si quæ ipsis  
 competunt, pro sua bonitate & sapientia moderatur Deus & diri-  
 git; Verum tales actiones & effectus cœlestibus influentiis affi-  
 gnare, quibus homines efficaciter ad mala & vitia irritantur iræ-  
 que divinæ obnoxii in primâ nativitate redduntur, prorsus non vi-  
 detur cum divina bonitate & sapientia, cui tamen hæc omnia ad-  
 scribere videtur MORINUS, conciliari posse. Equidem divinæ sapi-  
 entię & providentię hoc tribuunt Theologi orthodoxi, quod De-  
 us lapsum primi hominis & hunc insecutam naturaliter depra-  
 vationem humanæ naturæ, cum averfatione quadam & displicen-  
 tia permittere, nec efficaciter pro sua absoluta potentia impedire  
 voluerit; Deinde quod naturam hominis ad mala inclinantem, ad-  
 huc sustentet, inque actionis materiale influat, & *ἀταξίαν* positive  
 & absolute non prohibeat & tollat, sed intra certos limites, men-  
 suram & metam sancte permittat; imo ex sapientissima sua or-  
 dinatione, prævisa illa depravatione, quod homo eam per volun-  
 tarium lapsum sibi citra Dei culpam sit contracturus, ita disponat,  
 ut homo illam pravam concupiscentiam & inclinationem ad mala,  
 in hoc statu corrupto, quem Deus pro sua absoluta potentia in  
 hac vita perfecte corrigere non tenetur, retineat; sicque pecca-  
 tum originale Deo permittente, non vero simpliciter nolente &  
 reluctante, sed non volente vel non approbante propagetur; sed  
 quod bonitati ejus & sapientię conveniat, per influentias cœle-  
 stes

stes vitiosam qualitatem homini imprimere, qua ad mala propendeat, eumque sic efficienter & physice movere ad agendum id, quod nativæ dispositioni per astrorum influxum ita ordinatæ congruum sit, nemo nisi in sanctitatem Dei inviolabilem injurius affirmabit; nam stante hac sententia, prævia motione & excitatione influxuum cœlestium, Deus ut causa prima dicendus esset concurrere ad vitia & peccata hominum. Quicumque enim hominem per ejusmodi excitativum influxum & sideralem impressionem disponit, flectit, movet & inclinatur ad malum, utique est peccati causa; Quare enim Deus ita effective per influxum astrorum, quibuscumque ut causa prima ad eandem actionem concurreret, moveret & impelleret, nisi vellet actum ipsum peccati ad intentionem suam fieri? Ex sacro vero codice notum est, illam depravationem humanæ naturæ, quæ ut vitiosa qualitas omnium virium corruptionem inducit, hominemque ad mala impellit, non dependere ab astris, sed esse hæreditariam, qualis à lapsu inde Adami per naturalem generationem propagatur, quæque nullo influxu positivo divino, nec ullo alio decreto Dei hominis naturæ inest, quam non impediendo miraculose istam humanæ naturæ corruptionem & propagationem; Nam si juxta Jacob. I. v. 13, 15 Deus non decrevit quenquam ad malum tentare, sed tantum permittere homines per proprias concupiscentias & illectamenta Diaboli tentari, iisque seduci, removenda utique prorsus à Deo est tentatio ad malum morale sive peccatum, quæ fit per impressiones ejusmodi validas corporum cœlestium, qua physica necessitate homo ad malum propendeat; Et cum odium, quo Deus omne malum prosequi dicitur Ps. V. 5. Hab. I. 13 sit ingens & ferium, non simulatum, non adparet, quomodo in Deo simul existere possit tantus erga peccata amor, ut efficaci voluntate per influxum stellarum physicum & impressiones validas, homines ad peccata flectat. Absurdus porro est MORINVS, quando, ut adparet, stimulum carnis Paulo datum, 2. Cor. XII, item legem illam de quo queritur Paulus Rom. VII in membris suis repugnantem, & ipsum captivantem in lege peccati, quæ est in membris, hic adscribit influentiis cœlestibus, quod etiam p. 251 facit, ubi dictum explicat de morum naturali habitu, sive naturali inclinatione, quam influxibus cœli tribuit,



buit, à quibus propriis naturæ viribus etiam p. 51 Adami peccatum derivat, qui natura existente sana, non statim succubisset primæ occasione peccati. Ad quam nativam propensionem, itidem astris debitam, etiam p. 535 refert appetitum illum malum, de quo Deus ad Cainum dicit: Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illi, putatque ut plurimum fieri quæ nascenti futura significantur ab astris, quia homo ut plurimum sequitur astrali impressioni in genesi factæ, & quia homo ignarus Astrologiæ, & per consequens fati sui, illud prudentia immutare nequit. Per stimulum, carnis, cum Lyra intelligere videtur tentationes peccati Originalis, quod fortius concupiscentiam in Paulo moverit post revelationes; Verum stimulum carnis Paulo datum aliter quam de pravitate connata, quod MORINUS facere videtur, explicant orthodoxi Theologi. Per legem autem repugnantem & captivantem omnes homines, labem congenitam ad omnes homines per naturalem generationem propagatam, intelligunt; quæ labes congenita erroneè tribuitur à MORINO influentiis cœlestibus; ubi simul etiam notandus MORINI error, quando per carnem variis concupiscentiis, ut loquitur, armatam, solum vires animæ inferiores intelligit, & per consequens per spiritum, cum sectæ suæ hominibus denotari putat vires animæ superiores sive rationem, sicque luctam carnem inter & spiritum, de qua in Scriptura mentio fit, intelliget de ea, quæ in homine irrogenito inter rationem & appetitum est, non quæ in regenitis detur, cum tamen spiritus, notante LUTHERO in Es. LIV. II non sensui solum & appetitui, sed ipsi quoque rationi humanæ opponendus, ideoque nec tolerandus MORINUS cum suo errore, & hypothese pontificia, nec quoque ferendi illi sunt ex Novatoribus, qui eousque progrediuntur, ut statuant, regenitum hominem in hac vita, eum posse obtinere statum, ut extra sensibilem luctam adversus peccata constituatur, & carnem & sanguinem ita penitus debilitari sentiat, ut non amplius hominem infestent, nicht mehr wehe thue. Quod vero propensio ista ad malum per peccatum introducta, non solum reperitur in inferioribus animæ viribus, sed etiam superioribus, ita ut totus homo hoc malo post lapsum imbutus sit, nec intellectus & voluntas, superiores illæ facultates animæ, manserint ab isto malo liberæ

liberæ, dudum probarunt Nostrates. Quamvis etiam Scriptura Sa-  
 cra in carne & ejus membris pravam concupiscentiam habitare  
 statuat, non tamen hinc sequitur, superiores animæ facultates à  
 peccato esse immunes, si quidem vox carnis sæpe in Scriptura pro  
 toto homine corrupto ponitur Joh. III. 16, vid. SALTZMANNI *Sin-*  
*gularia Lutheri* p. 229. totusque homo secundum omnes facultates  
 animæ ita peccato corruptus describitur, ut non modo inutilis ad  
 bonum, sed etiam bonum omnino averfari & fugere, malumque  
 unice amplecti dicatur, Pf. LI. 7. Hiob. XIV. 4. & homo nil boni  
 ex seipso facere posse dicitur, Jerem. XIII. 23. Matth. XII. 34.  
 Rom. III. 12. Homo etiam extra illuminationem verbi & Spiritus,  
 ita plane dicitur destitutus luce & intelligentia, ut de rebus spiri-  
 tualibus nihil intelligere possit, in tenebris sedens Es. IX. 1. Luc. I.  
 78, habens intellectum obtenebratum Eph. IV. 8, cor obscurum  
 Rom. I. 21. non percipiens quæ sunt Spiritus Dei, & ne quidem spi-  
 ritualia cogitare potens I. Cor. II. 14; quem igitur irrogenitus ha-  
 bet rerum divinarum notitiam, eam non ut animalis, sed quatenus  
 luce verbi à Spiritu S. collustratus est, habet, sicque vera cognitione  
 per virtutem Spiritus S. in verbo docentis hausta, omnino prædi-  
 tus esse potest; nec Aug. Conf. ullo in loco, multo minus in Art. II.  
 irrogenitis notitiam veram denegat, potius ex XVII. articulo firmi-  
 ter probatur, irrogenitum suam ex Scriptura S. comparatam notiti-  
 am, unice à Spiritu S. gratia illuminante habere, quod ita verum, ut  
 Novatorum primicerii etiam, vi veritatis adacti cum suis complici-  
 bur, nolentes etiam & *αὐτοκατάκριτοι* hoc confiteri necesse habeant  
 etiam tum, cum maxime hoc negare audent. Obiter & hoc notan-  
 dum, Dn. MORINI videri nolle, se esse, in Dei sanctitatem injurium,  
 quando affirmat, astra suis impressionibus efficere in homine pro-  
 pensiones ad mala & peccata, siquidem talis, ait, propensio ad ma-  
 lum, peccatum formaliter non est, cum nulla ad quodvis peccatum  
 propensio per se, ut loquitur, vel in habitu nativo, mala sit, nisi quan-  
 do homo in pravo exercitio, à libera sua voluntate adhuc vel illum  
 actum malum determinatur; proindeque hic fovet denuo alium  
 Bellarmini & Pontificiorum errorem, qui nihil proprie rationem  
 peccati habere dicunt, nisi quod voluntarium est, cum tamen in  
 accurata & plena peccati descriptione Biblica I. Joh. III. 4 nulla om-  
 nino

mnino fiat voluntarii mentio, & præterea lex divina, non voluntas hominis, statuatur esse peccati regula, ipseque PAULUS id pro peccato habeat, quod odit & non vult Rom. VII. v. 14 seqq. In ipsam interim voluntatem, sine cujus consensu nihil proprie rationem peccati habere putat, per se & immediate astra agere, non videri vult asserere, nisi quod saltem dispositive & indirecte voluntatem ad malum flectant, vel ut loquitur, ad materiale peccati impellant voluntatem, non autem ad formale p. 265. Ast cum ibidem concedat, quasdam naturæ propensiones ad malum, à cœli influentiis impressas, ita esse fortes, ut iis in subitaneis præsertim motibus, reluctari homini præter & supra naturam sit, quam fortem impressionem à stellis factam, expresso nomine *divinum quid* vocat, non videtur, quomodo Deum à concursu speciali ad formale peccati, & semet ab impietate liberare velit. Neque hic distinctio inter *materiale* & *formale* peccati, quæ alias admittitur in actionibus ejusmodi, ubi *materiale* & *formale* distingvi & separari potest, applicari potest, quasi Deus & stellæ, cum quibus Deus coinfluit, moveant saltem & inclinent ad *materiale* non *formale* peccati, qua distinctione olim in controversia illa *Thomistico-Calvinistica*: an scilicet Deus causa prima concurrat cum secunda, prævia quadam motione & prædeterminatione ad agendum? affirmantes, sed sine fundamento usi sunt; Nam quando de inclinatione & motione ad malum, quæ à stellis fieri dicitur, & quam realem aliquam qualitatem à stellis Deo simul influente & agente, impressam vocat, loquitur, utique hic de peccato qua tali, & formaliter spectato, intra conditiones & circumstantias eas, intra quas peccati rationem adipiscitur & obtinet, sermo est; si quidem omnis inclinatio, in quantum est ad malum, formaliter peccatum est, quia est *ἀνομία*. De peccato originis, cujus hac occasione, dum de influxibus stellarum malignis agit, etiam mentionem facit, ita loquitur, ut, quod dudum jam in Pontificiis observarunt nostrates Theologi, titulum quidem ejus retineat, rem ipsam tamen neget, siquidem dicit p. 264. Propensionem ad malum in genere, inesse omnibus hominibus ab originali peccato Adæ, singulorum tamen hominum propensiones speciales non esse per se ab illa causa generali, sed ab alia partiali nempe constitutione cœlesti in cujusque

D homi-

hominis ortu. Mox vero ad objectionem: quod per ejusmodi impressiones malas, planetis tributas, bonitas & sanctitas divina lædatur, dum planetæ, qui malorum habentur Auctores & Ministri, dum Regis sui jussa nunquam transgrediuntur, ipsi tamen sunt, qui alios ad transgressionem invitent & impellant, respondendo, negat, propensionem ad malum esse peccatum formaliter, cum nulla ad quodvis peccatum propensio per se mala sit, quo ipso propensionem ad malum in genere, quod ante à peccato originali inesse affirmabat, adeoque peccaminosum esse negare non poterat, rursus peccatum formaliter esse negat, sicque sibi contradicit, & nolit velit, Deum peccati *formaliter* talis causam facit, quando asserit, per virtutes astris à Deo inditas, homines tam fortes quandoque impressiones pati, ut hisce nativis suis propensionibus ad malum non obsequi, & iis reluctari, sit præter & supra naturam hominis, unde, ut ante dixi, statuit, MAHUMMEDEM, LVTHERVUM & CALVINVM sibi effinxisse religiones suas falsas, per fortes illas propensiones nativas & proprias in sua genesi acceptas, Quod tamen de B. LVTHERO falsissimum. Equidem modos fingunt *Thomistæ & Reformati* in controversia de prædeterminatione divina ad peccatum, quibus putant Deum absolvi posse ab ἀνάγκη peccati, dum dicunt, Deum ad malum movere appetitum jam in se malum, hinc actum impurum reddi, non à Deo movente & impellente, sed ab appetitu jam depravato existente; item actionem esse æstimandam ex fine, qui ex parte Dei semper bonus sit, directus ad illustrationem gloriæ divinæ. Verum uti hi modi non sufficiunt in controversia *Thomistico-Calvinistica*, pro salvanda divina sanctitate & bonitate, quod ostendunt Theologi, ita multo minus MORINO subsidium præstant, pro excusanda divina bonitate, quando Deus per malignos influxus stellarum concurrere dicitur, ad imprimendam hominibus qualitatem, qua ad mala inclinantur & flectuntur, qualem impressionem qualitatis ad malum, à stellis inductæ & ingeneratæ, tribuit MAHUMEDI, LVTHERO, CALVINO, quos dicit sibi effinxisse religionem suis pravis inclinationibus ab astris acceptis, congruam,

§. IV. Neque vero in eo satis habent *Astrologi*, quamvis non exigui momenti impietas sit, ut ea, quæ ad religionem pertinent  
velint

velint etiam à corporum cœlestium influentiis & impressionibus suspendere, sed accedit ad hoc audax satis & temerarium factum, aliud adhuc aliquanto fere atrocius, quando CHRISTUM Servatorem nostrum Optimum, etiam astrorum influentiis subjiciunt, ipsique thema natalitium erigunt, ex quo de ejus vita, doctrina, passione, morte inquirere & judicia ex stellis formare temere præsumunt. Thema istud, ad natalem Christi diem, quem CARDANUS cum MORINO assumit XXIV Decemb. H. XI & m. 55 anni Juliani 45, erectum, videre licet in *Præfat. Astrologia Gallica*. Ubi observat MORINUS, quando Jupiter est in Horoscopo & trigonum aspectum Platicum cum Venere habet, quod inde colligere liceat: CHRISTUM fuisse speciosum forma, sed cum augusta gravitate, ob Saturnum, qui itidem in trigono sit cum Jove. Ab influxu Jovis & Veneris fuisse CHRISTUM morum optimorum, pium, justum, fidelem; Et cum Saturnus sit in IX domo à benefico & amico aspectu Jovis irradiatus, inde deducit MORINUS, quod CHRISTUS quam maxime fuerit ad religionem inclinatus, futurumque sit condendæ legis optimæ naturaliter capacissimus, & quod Trigonus trium planetarum ad mores & ingenium optimum sit admirandus. Cum interim in themate natalitio à MORINO adducto, Saturnus quidem sit in nona domo, sed in signo communi, nempe in geminis, de quo signo alias observat ORIGANUS *l. c. p. 301*, quod quando Saturnus morum perturbator habitus juxta *p. 58*, nonam domum occupans, sit in tali signo communi, tum significetur, nullam fore in nato fidem, sed religionis tantum externam speciem. Et quamvis hic Saturnus in nono irradietur à beneficis, nempe Jove & Venere aspectu trigono amico & felici, ut inde etiam juxta ORIGANUM *c. l.* significari dicatur pietas, amor, reverentia erga Deum, tamen addit ORIGANUS, in tali dispositione Saturni, significari quidem pietatem & religionem erga Deum, sed tum demum, quando Saturnus in nona domo signum fixum occupat, quod in themate MORINI non fit; Deinde etiam notanter addit ORIGANUS, quamvis Saturnus in nona domo existens & signum etiam fixum occupans (quod tamen ultimum hic non contingit) simul aspectu fausto beneficorum gaudeat; *non tamen, inquit, quod significat* NB. prorsus ita firmum ac sincerum existimandum, ac si loco Sa-

De

turni

*turni & Martis* ( qui ambo malefici habentur, & prior quidem *infortuna major*, alter *infortuna minor*) *benefici in illis locis essent*. Præterea hoc quoq; observandum ex ORIGANO *p. 11*, quod Gemini, utpote commune signum, sequantur conditionem antecedentis signi, nempe in constitutione aëris, hujusque in corpora influxu; Signum vero antecedens est *Taurus*; De hoc autem signo idem ORIGANUS *p. 13* dicit: quod influxu suo maximam stupiditatem conciliet. Quamvis igitur ex eo, quoniam *Saturnus* signum Mercuriale occupat nempe *Geminos*, excellentissimum & optimum profundumque ingenium CHRISTI inde derivet MORINUS; alius tamen juxta regulas ORIGANI, natum non adeo admirandi ingenii fore judicaret, imprimis quia *Jupiter & Venus* quidem sint in *Trigono* cum *Saturno*, atque adeo vi illius aspectus, bonum ingenium ominentur, suoque influxu causentur; attamen cum *Saturnus* sit natura sua maleficus, & insuper in *communi signo*, minuentur influxus benigni horum beneficorum, cum eisdem maleficus *Saturni* radius in dictis locis adfligat, Vid. ORIG. *p. 300*. Aliis igitur judicium relinquo, annon vel hinc pateat, esse apud *Astrologos* legum seu axiomatum quandam pugnantiam; Et quamvis thematis natalitii pro *Servatore* optimo nostro, à CARDANO & ejus Hyperaspista MORINO erecti, figura habeatur à MORINO pro felicissima, ita ut ex *Astrologiæ* principiis, neque aliquo priore anno, neque posteriore videantur disponi posse planetæ congruentius, ad ingenium, corporis formam, religionem, mores Christi denotandos, quam disponantur in illa CARDANI & MORINI; Contendo tamen, si velit aliquis juxta ORIGANIALIORUMQUE præcepta & placita, ad omnia attendere, singulaque excutere sollicitius, fore, ut illa figura MORINI non sit omnium felicissima, tot enim sunt ubique cautiones adhibendæ, ut si error committatur, facile excusetur. MORINUS equidem adferit: CHRISTUM vi thematis sui ad initium nativitatis ejus erecti, à *Jove* sive *Venere* in trigono *Saturni* in IX domo versantis, habuisse, quod optimo gauderet ingenio, & ad religionem veram quam maxime inclinaretur, quoniam *Spica Virginis* fixa ad idem fortunatissima, sit etiam in *horoscopo*, quod sidus præterea alii ridicule eo traxerunt, ut inde pateat, CHRISTUM debuisse nasci ex *Virgine*. Vid. B. MAYERI *Disp. II, cit. p. 7 seqq.* Sed si consulamus ORIGANUM *l. c.*  
ubi

ubi ostendit, qua ratione juxta regulas doctrinæ Astrologicæ de pietate & impietate *Nati* judicari debeat, in aphorismis impietatis n. 4 pag. 301 dicit: *Saturnum cum Venere & Spica Virginis* Theologos quidem facere, sed qui pro *Hæreticis* habentur; Et in verbis proxime præcedentibus dixerat: Infortunas in ipso loco nono positas, facere *contemptorem DEI*; *Martem* imprimis facere, palam Deum convitiis incessentem; *Saturnum* vero *Hereticum*. Sed quicquid sit etiam de themate Christi natalitio à MORINO erecto, merito hic exclamatur cum THUANO Tom. IV Hist. Lib. 62: *Quæ extrema amentia, imo impia audacia, astrorum commentitiis legibus, verum astrorum Dominum ac Creatorem velle subicere!* Quod tamen CARDANUS exarata Servatoris nostri genitura, fecit. Et profecto absurdi sunt, qui statuunt, Christi corpus in lignis etiam maleficorum planetarum impressionibus fuisse obnoxium, dum Christi corpus, cum esset absque peccato, habuerit temperamentum geometricæ proportionis optimum, in quo fuerit omnium qualitatum concentus & harmonia suavissima & perfectissima, omni *δυσκροσία* & dissonantia carens, nullique motus difformes & inordinati ad pravum inclinantes, qualem ad mala inclinationem MORINVS corporibus, astrorum influxibus subjectis, alias tribuit. Nam infirmitates & defectus communes toti speciei humanæ, & omnibus individuis, quos Christus absque omni peccato in se suscepit, & quibus sponte sua se subiecit, omne cum malignis astrorum influxibus commercium in Christo excludunt. Certe Adami corpus in statu integritatis juxta Theologos orthodoxos fuit impassibile & immortale, igitur propensiones malas à maleficis astrorum influxibus impressas, nunquam potuisset pati, & ineptus est MORINUS, quando sectæ suæ errorem, cui etiam Syncretistæ CALIXTUS, DREJERUS, HORNEJVS adstipulantur, fovens p. 392 dicit: Primum hominem non fuisse impassibilem & immortalem per naturam, sed duntaxat per donum gratiæ, dudum hic error à Lutheranis Theologis est explosus. Si autem Adami nondum lapsi corpus fuit impassibile, & verò Christi corpus juxta MORINVM p. 390 fuit, uti ait, infinite purius Adami corpore (quod num de corpore Christi, quoad statum naturalem dici queat, Theologis judicandum relinquo) multo minus poterit dici: Christi corpus astrorum impressionibus malignis fu-

isse obnoxium, quibus ad mala fuisset tentatus, ut nempe eo magis contra pravos ejusmodi influxus se virtutibus exerceret, vid. MORINVS p. 489, quo ipso reduceretur in Ecclesiam, discipulorum Scoti error: non repugnare, Deum per assumptam carnem peccare, item Durandi scandalosa sententia: In appetitu sensitivo Christi, fuisse fomitem peccati; nec non Arminianorum error: quod Christus habuerit secundum humanam naturam peccandi potentiam, quam Arminianam hypothesein hodie, & illi Novatores introducere videntur, qui dicunt, Christum secundum humanam naturam per se obligatum fuisse, ut universam, quam late patet legem, intueretur, eique faciendæ studeret. Videatur fortgesetzte Sammlung von alten und neuen Theologischen Sachen / zweyter Vortrag auff's Jahr 1730. p. 244. Mirari autem subit, quomodo MORINVS possit concedere, Christi corpus nostro simile, ex quatuor elementis vel humoribus conflatum, obnoxium fuisse instar nostri, influentialibus astrorum impressionibus, quæ juxta domorum proprietatem, ejus actiones ita afficere potuerint, ut ad bonas aut malas actiones, vel felices aut infelices fuerit tentatus, prout planeta fuerit natura beneficus aut maleficus, bene aut male affectus, vid. MOR. c. l. p. 489 seq. cum statuatur, Christi corpus ex semine Mariæ fuisse factum, nam phrasin & locutionem Theologorum: Christi corpus ex purissimo sanguine Virginis factum fuisse, rejicit; interim affirmat, sed erroneè c. l. *in Sanctissima Virgine nihil fuisse non sanctum, & quamlibet sanguinis in Mariæ corpore contenti partem, æque puram ac sanctam fuisse, ac semen ipsum, è quo corpus Christi effigiatum, quæ redolent hypothesein Papisticam: Mariam ab omni labe peccati fuisse immunem. Quæ alias hinc inde MORINVS habet, quando hominem ex se mortalem & duntaxat per gratiam immortalem dicit; item: quod Adamus non extiterit impassibilis, vel ab omni passione & alteratione liber, quia alioquin ligno vitæ ad reparandas vires nunquam indignisset; item: quod corporis alterationem, viriumq; imminutionem à corporibus cœlestibus & elementis evitare non potuerit, propter quæ reparanda, recurrendum fuit ad lignum vitæ; item: lignum vitæ non alio fini ipsi Adamo gratis datum fuit, quam ut suæ constitutionis suarumque virium ruinas ab astris & elementis causatas, repararet, atque adeo vires*

ætate



ætate & astrorum atque elementorum actione labescentes, virtute ipsius ligni vitæ renovaret & restitueret. Porro: cum humana corpora & astra eis dominantia, tunc eadem fuissent, quæ nunc sunt, etiam eadem ab astris impressæ fuissent natis propensiones, quæ nunc imprimuntur, sive bonæ, sive malæ; unicuique cum Diabolo & propria sensualitate certandum fuisse &c. Hæc omnia sunt erronea dogmata à Nostratibus jam discussa. Nec istæ, fidei Lutheranæ, consonæ sunt locutiones; quando p. 489 dicit: Deum immittere & effundere bonos & pravos influxus cœlestes, ut homines in virtutibus se exercent. Et p. 490 corpus Christi divinum, fuit subditum astris, non solum ut fuissent reliquorum hominum corpora in statu innocentiae (quibus Deus scilicet immisit, & in ipsos effudit bonos & pravos influxus) sed Christus etiam se magis illis sua sponte subiecit &c. Verum quam absurdum sit assertum MORINI: in statu innocentiae, eundem ut hodie astrorum concursum & influxum fuisse in corpus hominis, tam bonum quam pravum, eandemque obtinuisse cœli divisionem, & domorum atque signorum significationem, vim atque efficaciam, patet vel solum inde, quia domorum ista significatio, quando Sexta dicitur servorum; Duodecima morborum, aliarumque afflictionum corporearum; dum denique Octava quæ est mortis, prorsus aliena fuit à felicissimo originalis innocentiae statu; Siquidem tali cœlorum constitutioni astrorumque influxibus & effectibus subicere hominem integrum, ejus perfectioni & dignitati plurimum repugnare videtur. JUNCTINI equidem aliorumque, quam cum Magistro sententiarum fovent sententiam, non approbo, qua statuit cœlum post lapsum hominis non esse æqualis virtutis, sicut in principio creationis fuit, sed post Adami peccatum, astrorum naturam fuisse immutatam, solemque & lunam aliaque sidera, talem post peccatum primi hominis lucis jacturam fecisse, ut ante peccatum septuplo plus luxerint, quam nunc lucent. Quemadmodum nec FRISCHLINI per omnia subscribo sententiæ *Lib. I. Astron. p. 4. & Lib. IV. p. 240*, qui negat, in statu integritatis eadem fuisse temporum discrimina, distincta suis qualitatibus, ut hodie sunt; *nullam, inquit, hyemem, nullam æstatem, sed ver perpetuum fuisse futurum, & æqualem aëris annique rationem,*

*nem, pluviasque, cœlitus datas solum esse homini post lapsum in pœnam; Si-  
quidem hæc & sacrarum literarum testimoniis & rationi videntur  
contraria. Deut. XI v. 13 seqq. c. XXVIII v. 12. Act. XIV v. 16.  
Gen. VIII. 22. Ps. LXXIII 17. Absque ratione & auctoritate fingi-  
tur, ante peccatum in tota rerum natura, omnibusque terræ lo-  
cis, climatibus & partibus, uno & eodem tempore, per totum an-  
num, perpetuum ver fuisse, nisi statuere velimus, Deum post A-  
dami lapsum, totam cœli naturam pervertisse, aliamque nunc  
esse in cœlis corporum cœlestium dispositionem, secundum quam,  
vicissitudine motus, lucisque & caloris, quatuor anni partium di-  
stinctam varietatem producant, quam fuit ante lapsum. Hoc in-  
terim contra Astrologos quosdam defendimus: cœlum cum astris  
innatantibus, per influentiales suas impressiones, ut loquuntur, non  
habere tantam vim & efficaciam ad sublunaria hæc movenda &  
cienda, ut suis motibus & influxibus, homines inter cætera etiam  
ad religionem Christianam, vel cum cura & devotione colendam  
& defendendam, flectant & moveant, vel ad recte, sed parum qui-  
dem & sine reverentia credendum disponant; vel etiam ut per ma-  
leficorum planetarum, eorumque indolem & naturam referenti-  
um fixarum, influxus pravos & infelices, homines ante lapsum  
quoque ad mala & prava fuissent tentati & inclinati; post lapsum  
autem ita sæpe fortiter & valide excitentur, ut actiones edant  
pravis istis dispositionibus & impressionibus congruas, & ad novas  
etiam religiones effingendas, vel reformationem & mutationem  
in religione vera suscipiendam, stimulentur, & cœlitus afflentur. Si  
vero in statu integritatis, homo expers omnino censendus fuit  
omnis ad malum propensionis à stellarum influentiis inductæ,  
dum corpus puræ naturæ intra debitivas suas naturales perfectio-  
nes, exactissima qualitatum harmonia, & justissimo temperamento  
constans, tales corruptiones respuit, omnesque inimicos stella-  
rum insultus, si quisint, repulit; Quid ergo Christus stellarum Do-  
minus, posset dici subditus & obnoxius talibus astrorum impres-  
sionibus? naturaliter, si dentur, vim suam & efficaciam non nisi  
in corpore, ad hos influxus malignos recipiendos, disposito, exse-  
rentibus, quale corpus Christi non fuit. Nam quam sponte susce-  
pit servitutem & corporis sui dolores & afflictiones nostri causa*

*in*

in statu exinanitionis, illas per astrorum positum in nativitate Christi fuisse significatas, vel ab impressionibus stellarum efficaciter immixtas, unde quæso probabit MORINVS? Qvis etiam non ridet Veterum Priscillianistarum vanam & impiam opinionem, qua omnia miracula Christi ad stellas retulerunt, ideoque in primo miraculo in nuptiis Cananæis respondisse dicunt Christum: *horam suam nondum venisse.* Quorsum etiam refert MORINVS verba Christi, quando dixit: *Pater venit hora, clarifica filium tuum* putatque, Christum ad fundendum suum sanguinem & mortem subeundam elegisse tale tempus, quod congruum maxime fuerit causis physicis & cœlestibus influxibus, quo adventante, diutius noluerit differre suam mortem. Pariter cum dixisset Christus: *nonne sunt duodecim horæ diei,* putat cum Gvidone Bonato, Christum respiciendo ad positionem cœli & planetarum situm in nativitate sua, elegisse unam ex horis dierum per influxus stellarum faustam, ne scilicet tunc aliquid pateretur à Judæis; Manifestum enim est, hæc talia esse vigilantium somnia, nulli fundamento innixa. Accedit vel ideo frustra hæc omnia dici, vanamque esse figuram thematis Christi à CARDANO & MORINO erectam, quoniam inter Chronologos hucusque fuerit dissidium de anno nativitatis Christi; quomodo ergo verum nativitatis Christi momentum poterit accurate constitui? parva autem quæ hic subrepat in horoscopo mutatio, magnam diversitatem in ipso themate inducere creditur, & omnes fatentur, opus esse certa notitia articuli temporis, quo nativitas contingit. Quam difficile autem sit determinare istos temporis articulos, simulque comprehendere, qui accurate singulorum signorum sint motus in nativitate nascentis, dudum jam objicit D. AMBROSIVS *l. c.* Astrologis, indeque concludit: Cum impossibile sit, tam subtiles minutias temporis comprehendere, exiguam talem mutationem istum invehere errorem, ut totum negotium vanissimum evadat, imprimis, si dissensio circa tempus nativitatis ad integros dies se extendit, uti hic; siquidem KEPLERUS cum sequacibus sibi persuadet, natum esse Christum anno Juliano 46; MORINVS autem cum CARDANO evincere vult, annum 45 Julianum esse verum annum nativitatis Christi, cui anno omnes eventus exacte respondeant. Verum si Mathematici subsidio historiæ & do-

Strinæ Eclipsium Luminarium, accuratum tempus nativitatis Christi indagant, deprehendunt, hætenus in definiendo vero annorum à tempore nativitatis Christi elapsorum, numero, duorum annorum spatio fuisse aberratum, idque ingeniose ostendit B. Dn. LEONH. CHRISTOPH. STURMIUS im furken Begriff der gesanten *Mathesis Part. III. p. 353*, ubi ad quæstionem: Quomodo verus annorum numerus à nativitate Christi indagetur? ex historia & doctrina Eclipsium certissimo indicio demonstrat, à nativitate Servatoris nostri, binos annos justo minus numerari & scribi, & pro præsentis anno 1730 scribendum esse annum 1732. Si hoc, quilibet, videt, Dominum MORINVM cum suo CARDANO tanquam impiæ superstitionis & vanitatis architectos, in prædictionibus ex themate natalitio, ad tempus nativitatis Christi falso constitutum, constructo, eruendis, cum inanibus umbris luctari.

§. V. Ut vero adhuc clarius patefcat, quam vana sint Astrologicarum prædictionum, imprimis circa statum religionis variasque ejus sectas, felicemque & prosperum, vel minus felicem in ea propaganda successum, fundamenta, & quomodo omnia fere hic in vanas commentationes desinant, sicque Astrologia hætenus in multis turpe errorum & mendaciorum seminarium constitutum sit, adducam exemplum à nostra Eclipsi desumptum, quam in hoc Jubilæo, calculo à nobis ante subducto, quoad eventus suos calculo respondententes, sedulo observavimus. Quemadmodum enim Astrologi inter reliquos planetarum aspectus, imprimis noviluniis & pleniluniis Eclipticis, magnam efficaciam ad sublunaria hæc stimulanda & alteranda tribuunt, & per ipsas, sæpe mutationes non politicas solum, sed etiam quandoque Ecclesiasticas fieri credunt, ita ut ex ipsorum opinione tales Eclipses sæpe insequantur motus & mutationes in ipsa religione. Igitur ut hos effectus prædicere valeant, solent ad momenta Noviluniorum & Pleniluniorum præsertim Eclipticorum, erigere figuram cœlestis constitutionis, atque ex hac judicare de effectibus, qui non solum urbes multas & regiones integras, sed & homines, habentes cognationem in genesi sua radicali cum themate Eclipsios, afficiunt. Hos effectus verò præsciunt juxta regulas suas ex dominio planetarum in hac vel ista domo, item ex stellis fixis, in themate erecto, hoc vel illo modo

modo dispositis. Nostræ Eclipsæos potiora momenta à nobis calculo subducta, hic subjecimus, quæ etiam juxta observationem nostram, in præsentia multorum Dnn. Studioforum institutam, eventui proxime responderunt, nisi quod in fine determinando calculus quoad aliqua minuta à cælo aberraverit, quibus Eclipsæos finis calculum anticipavit. Incidit autem Eclipsis nostra in annum Jubilæum, & in ipsum tempus, quod huic Jubilæo celebrando destinatum fuit. Ad medium Eclipsæos in calculo subjecto determinatum, juxta methodum *rationalem*, thema cœleste construximus, ipsosque planetas cum stellis fixis illustrioribus, suis domibus, quas occupant, adsignavimus. Ipsum thema à nobis erectum, typis excindendum tradere, atque huc adponere operæ pretium esse non duximus. Si igitur quis in gratiam eorum qui σοχασμῶ. Astrologico delectantur, situm stellarum in themate nostro examinare velit, indeque prognosticon formare, deprehendet: Jovem Cardini propinquiorem in ipso horoscopo, sive prima domo existere, & habere, quia in Leone, signo igneo, Imperator seu Trigono crator est, tria dignitatum testimonia; præterea in 13 gradu Leonis existens, est Decanus signi, quod superaddit adhuc unum fortitudinis signum, & quia est directus, juxta de CHALES, quatuor adhuc adduntur fortitudinis indicia. Vid. etiam ORIG. l. c. p. 35. Collectis igitur fortitudinibus ex tabulis dignitatum essentialium, videmus, quod Jupiter, pluribus dignitatum testimoniis, quibus fortunatus & potens esse creditur, præ cæteris emineat. ORIGANVS l. c. p. 58 Jovem, quando dominium nanciscitur in Eclipsi, pro summæ felicitatis & bonorum Auctore habet, qui inter cætera bona dicitur hominibus largiri tranquillitatem, bonos habitus, corporis & animi beneficia. Credendus igitur est ex mente Astrologorum, afficere homines, habentes in sua genesi cognationem cum nostro themate Eclipsæos, præcipue illos, in quorum natiuitate loca præcipua cum loco Eclipsæos conveniunt; quorsum pertinent & illi, qui in sua genesi radicali, per stellarum situm earumque influentias, dispositi fuerunt ad curam religionis sedulo suscipiendam, eamque contra quascunque adversariorum molitiones & invasiones fortiter defendendam; ad quem divinum zelum pro veritate religionis exhibendum, vel in hoc nostro Jubilæo anno, in quem incidit Eclipsis nostra; vel in sequentibus ad

quos directiones spectant, per plurima fortitudinum testimonia, quæ habet Jupiter in dominio nostræ Eclipseos, impressiones quasdam novas validas in animos hominum faciet, aut impressiones jam factas in nativitate, suo fortunato & potenti influxu, quem in suo dominio habet, valde excitabit & impellet. Siquidem is ab Astrologis, vid. RANZOVII *Tract. Astrologicus* p. 33 pro significatore religionis, nec non *Episcoporum, Theologorum* & rerum sacrarum *Antistitum* habetur; & in *prima domo* existens, uti in nostro themate, tales Antistites facere circa religionem conscientiosos & pios, iisque in causa religionis prosperum successum, cum magna reverentia, largiri creditur, conf. p. 44, qui alias juxta p. 231 universaliter humanitatem & motus honestiores cordis, & prudentiam, quæ omnia religionis sunt, pro bonitate naturæ animis, in genere statuitur. Imprimis cum accedit, quod Venus *Fortuna major* dicta, in horoscopo etiam existat, Jovi proxima, 17 Leonis gradum occupans [nam die præcedente 10 Julii conjunctionem habuerunt] quæ ab Astrologis creditur Jovi similia facere, imprimis vero efficere magnam in religione reverentiam. Vid. ORIGAN. *l. c. p. 59.* Idque eo magis quia *Saturnus Consignificator primæ domus* Vid. ORIG. *l. c. p. 28.* RANZOV. *p. 10* in nonâ domo existit, quæ vel maxime religionem denotare dicitur. Unitis ergo viribus suas operationes conjungent Jupiter & Venus, ut eo majorem alacritatem suis influentiis, animis Doctorum Ecclesiæ, in generare possint ad Lutheranam religionem defendendam, quo à pluribus hostibus impetitur hætenus, & ab infrunito Novaturientium cætu concutitur & conquassatur. Nam juxta Astrologos planetæ suas vires, quas in sua natura habent, per accidens cum aliis commixti, imprimis in conjunctione, multum augent vel imminuunt, si quidem benignus cum benigno conjunctus [uterque autem pro benigno habetur Jupiter & Venus] inde consentaneum in affectionibus & influentiis suis temperationem accipit, & sic mixtam pro natura illorum, quibuscum communicant, proprietatem eo maiori vi exserunt. Nostra ergo Eclipseos quia Dominatorem præcipuum habet Jovem, cui se amice in dominio iungit Venus & quidem in horoscopo sive prima domo, nihil mali promittere ex mente Astrologorum potest, sed potius ob beneficam & temperatam

ratam naturam utriusque, si ad homines respiciatur, præter rei familiaris incrementa, etiam religionis tranquillio-rem statum promittit; dum *Jupiter* iuxta RANZ *l. c. p. 92. sq.* pollicetur solidam sacrorum scientiam, & timentes Deum & Dei cultum procurantes, & in eo strenue laborantes, significat. Equidem *Jupiter* superior planeta, in nostro Eclipsi occidentalis & sinister dicitur, ab oppositione cum sole ad conjunctionem, & hinc ei duo debilitatis testimonia assignantur, iuxta ORIG. *p. 35.* Verum enim vero cum *Venus* ei proxima & æque Domina, etiam sit occidentalis & sinistra, hinc quia inferior planeta est, duo fortitudinis testimonia accipit; Quicquid ergo roboris per debilitatem *Jovis* decedit, per fortitudinem *Veneris* compensatur. Præterea Coniunctio *Jovis* & *Veneris* non diu ante Eclipsin facta, virtutem suam omnium maximam, quam eo tempore coniunctio ipsis conciliare dicitur, iuxta ORIGANVM *l. c. §. 35.* nondum penitus omnem amisit, sed adhuc exferet. *Saturnus* autem in gradu 21 *piscium* nonam domum in nostro themate occupans, non prætereundus est; Nam quemadmodum ex tertia domo iuxta ORIGANVM *p. 29 & 299* de fide & religione seu pietate hominis aliqua ex parte; item de controversiis & disputationibus, quibus implicatus aliquis erit, iudicatur; ita ex nona domo, quæ tertiæ præfertur, præcipue pietatis, religionis ac dignitatum Ecclesiasticarum notæ sumuntur, quæ etiam sectarum, quæ in religione potissimum considerari solent, significationem habere dicitur. *Saturnus* igitur in *piscibus*, ibidemque *Domini termini*, atque adeo in aliqua suarum dignitatum existens, significat fidem & religionem, iuxta ORIG. 301, & quia est in nona domo duo quidem nanciscitur fortitudinis testimonia, vid. ORIG. *p. 33.* insimulque quia est *retrogradus*, iuxta observationem RANZOVII *l. c. p. 231* religioni & Ecclesiasticis functionibus seu dignitatibus officere putatur. Hinc colligent Astrologi, tales homines qui in themate radicali suæ genituræ non habent planetas bene pro religione dispositos, vi thematis nostri, mansuros esse etiam in hoc anno Jubilæo & sequentibus, impios, & inconstantes in religione, & contra usitam religionem disputantes; siquidem *Saturnus* in nona domo, & retrogradus, RANZ. *p. 231.* faciet, ut multi non cogitent de religione, parumque curent eam; alios pro indole influxus sui, de una re-

ligione convertet in aliam; Et quia nonum locum occupans simul est in communi signo, & à Marte quodammodo aspectu oppositionis platico infelici irradiatur, ideo quosdam Hæreticos faciet; alios pro indole Martis, qui simul est in signo *longarum ascensionum*, in quibus aspectus etiam alias felix, in *Marte* pro malo habetur. Vid. WEIGEL. in *Spher. Euclid.* p. 167, Deum convitiis incessentes; nonnullos ad fidem vel denegandam, vel religionis saltem speciem formandam, impellet, ut Theologi quidem sinceri videri velint, quales prorsus non sunt, magis ex carnali affectu solliciti de mundanis quam de religione juxta CARDANUM in *Genit.* Vid. ORIG. l. c. p. 301.; Quorundam denique, præsertim Novatorum (dum hi sunt tales, qui juxta RANZOV. p. 231, singulare quiddam circa religionem hodie sibi sapere videntur) inimica & nefaria contra religionem veram ejusque Defensores suscepta consilia, influxu suo maligno juvabit valde, imprimis cum *caput Draconis* sive *Nodus ascendens* sit in *XII domo*, quæ significat tales homines facile inventuros esse asseclas scelerisque socios; præterea etiam contingat, ut *nona domus* (ex qua religionis notæ vel maxime sumuntur) signum, nempe *Pisces*, sit fœmininum nocturnum, adeoque unum ex infortunatis, quæ ad interitum ducunt. Vid. ORIGAN. c. l. p. 12. Denique signum *Piscium*, in quo versatur *Saturnus*, commune quidem sit, attamen quia est ex parte posteriore communium signorum, accedens adeo ad indolem & naturam sequentis, nempe *Arietis* signi ignei, effectus inde *Saturni* & firmiores & validiores evadent, vid. ORIG. l. c. p. 11. maxime cum communia signa juxta RANZOV. p. 22. ex se jam mediocres & temperatos effectus producere existimantur. Accedit, quod *Mars* & *Spica Virginis* junguntur in *domo IV* in nostro themate, *Saturnus* autem & *Mars* malefici ambo, non adeo remoti sunt ab *oppositione platica*; aspectus autem hicce in planetis præsertim maleficis, notabilem etiam in hisce sublunaribus effectum edere putetur. Cum ergo *Saturnus* juxta ORIG. p. 301 cum *Spica Virginis* facere Theologos quidem dicitur, sed qui pro Hæreticis habentur; omnino etiam ex hac dispositione, qua *Saturnus* fere *Martem* respicit in *oppositione platica*, *Mars* vero prope *Spicam Virginis* consistit, colligent *Astrologi* fore, ut per maleficos & infelices ejusmodi radios valde affligatur religio Christiana; siquidem planetæ malefici tali modo



modo dispositi, malignos influxus effundere credantur, imprimis dum *Spica Virginis* stellæ illustrioris, magna esse existimatur vis in commovendis circa religionem animis. Vid. *MAYERI Dissertationes tres: Utrum fata religionum dependeant ab astris? Disp. I, §. 6. p. 11.* Accedit, quod *Medium cœli* ad *oppositionem Martis*, quam habet, aspectu suo perversum tempus pronunciet, Regum quoque & Principum favores ista irradiatio detrahat, tempusque illud per directionem notatum, uti in omnibus, ita etiam in sacris negotiis & causis calamitosum decernat. Vid. *RANZ. p. 285.* Quemadmodum *Medium cœli* ad quadratum *Jovis*, ut in themate occurrit, juxta *RANZOVIVM p. 284* significat, quod multi, curam licet religionis sollicitam gerentes & zelo fervidi, habituri sint multa gravamina & similtates religionis causa, religiososque & legum sacrarum Doctores experturi sibi non æquos neque gratos, siquidem hæc irradiatio efficiet homines per se perversæ religionis, qui Deum parum colunt, à quibus personis licet *spiritualibus*, molestias sustinebunt cordati & sinceri, & illorum causa ex suis substantiis aliquid amittere cogentur; Ut adeo pia illa fortunatorum planetarum decreta de religione, de quibus ante diximus, valde videantur frustrari per influxus malignos *Saturni & Martis*, quippe qui ita dispositi sunt, ut juxta *HALY & CARDANUM*, efficere credantur contemptores religionis & deceptores. Verum enimvero cum Mars (qui aspectu suo alias irritas ac confusas in religione, opiniones ac animos efficere dicitur vid. *RANZ. p. 232.*) in tali domo reperitur, quæ religioni non est accommodata, *Saturnus* vero juxta *RANZOV. l. c.* tum demum Christianorum animos in Christianismo & religione parum constantes facit, quando in nona domo *fortis* existit; motus vero retrogradus, quem Saturnus in themate habet, juxta de *CHARLES*, ex sententia Astrologorum plurimorum, pro debili habetur, cui non fortitudinis aliquod testimonium, ut *RANZOVIVS* censere videtur, sed quinque debilitatis testimonia tribuuntur; Præterea *cauda Draconis*, quam insuper *Medium cœli* aspectu trigono dextro felici intuetur, sit in tali domo, in qua defectum & diminutionem virium notat, idemque *Medium cœli*, ad sextilem cum Mercurio aspectum, directum, felicissimum tempus promittat, omniaque negotia, officia, atque tractationes prosperrimo eventu succedere juvet,

vet, hominesque in illo tempore per directionem determinato, sapientes & bonis moribus præditos efficiat, vid. RANZOV. *c. 4. p. 288*, Nec minus Mercurius ob semisextum cum Jove & Venere aspectum, divinum quid speculari homines faciat, iisque divina largiatur ingenia, & ad cœlestium rerum studia, animos eorum excitet, divinisque studiis & cogitationibus de rebus mysteriosis occupatos pronuntiet; Quid quod! ipse RANZOVIVS *l. c. p. 230* fateatur: Si nona domus receptaculum unius ex signis religiosis, nempe *Libra, Tauro, Piscibus* sit, & cum Mercurio commercium habeat, tum pium, & minime legis ac religionis turbatorem denotari, seque Saturnum tunc non multum vereri, quod is religionis superstitionisque nimix magis sit auctor quam destructor: Infringentur utique valde hinc influxus planetarum, qui habentur maligni, quoad virtutis & fortitudinis suæ vigorem, ut dominatum non adeo efficaciter & valide exercere possint, quoniam fortunatarum stellarum influxus benigni multum exsuperant. Igitur excitabunt quidem & impellent influxus planetarum maligni homines de religione parum sollicitos; Tamen cum Jupiter directus, multa fortitudinis testimonia habeat & cum Venere conjunctus sit, ut supra vidimus, excitabit alios, qui anxie de religionis veritate & constantia cogitabunt, omnia nefaria contra veram religionem suscepta consilia eludent, ad quam rem etiam Jupiter aspectu semisexto felici, Vid. WEIGEL. *c. 4. p. 168*, irradians non solum Mercurium, sed etiam sextili aspectu benigno intuens tertiam domum, religioni accommodatam, prudentiam & circumspectionem largietur, vid. ORIGAN. *p. 303*; idque eo magis, quia Jupiter est Dominus nonæ domus, gaudium in ea habens ORIG. *p. 31*, imprimis si accedant benigniores quarundam stellarum fixarum influxus, quarum rationem utique etiam habendam esse Astrologi volunt, quippe quæ vi constellationis suæ faciunt, ut susceptis ab Orthodoxis consiliis, de nefariis Fanaticorum recentiorum machinationibus, quibus Lutheranam religionem sinceram & orthodoxam subvertere allaborant, comprimendis, magnus & multus vigor accedat. Quænam vero sint illæ stellæ fixæ, quibus in themate nostro Ecliptico, vis & efficacia quoad religionem tuendam, juxta Astrologos, tribuenda, in seq. § videbimus.

§. VI.

§. VI. Stellæ fixæ juxta Ptolomæum novis differentiis prorsus non distinguntur, sed juxta planetarum naturas solum, quos splendore & colore referunt, unde & denominantur, ut aliæ dicantur *Saturninae, Joviales, Venereæ*. Stella in *Orionis* humero dextro solem in nostra Eclipsi, quando ex parte jam obscuratus oritur, in ortu anticipans, potest haberi pro candidissima & splendida *Veneris & Jovis* inde salubris habetur & moderate calefaciens, adeoque influxu imitari *Jovem & Venerem* horumque impressiones augere creditur; Hinc *Medium cæli*, quando ad hanc stellam dirigitur, juxta RANZOVIVM pag. 309 annum determinat, quo is, cujus thema radicale cum nostro cognationem habet, consequatur jussu *Principis Jovii*, magnam dignitatem Ecclesiasticam. Est quidem quoad latitudinem australis, unde ejus vis minor creditur respectu nostri climatis, quam si latitudinem borealem haberet; habet tamen declinationem septentrionalem, propter quam, id quod propter latitudinem viribus agendi decedit, compensatur. CARDANUS *cingulum Orionis*, quando in themate oritur, efficere statuit homines doctissimos & studiosissimos, quia Orion inter figuras in cælo fortes refertur, vid. RANZ. l. c. p. 170. Distinguntur alias stellæ loco, ita ut robustissimæ dicantur, quæ in Ecliptica fere constituuntur, nempe ASELLUS AUSTRINUS in *Cancro*, quæ naturam *Martis & Jovis* referre dicitur, & hæc stella cum in *horo-scopo* nostri thematis sit circa medium Eclipsios, & Eclipsi proxima, non parum etiam efficaciam exeret una cum *Jove & Venere*, ut adeo virtus unita tot concurrentium in agendo & movendo stellarum, eandem naturam & indolem habentium, quam efficacissime se exeret, juxta Astrologos, majoresque effectus, maximamque vim edat, si quidem stellæ in ipsa Ecliptica vim agendi intendere creduntur & reliquis efficaciores esse; dum *significatores* hisce stellis fixis juncti, quæ parum distant ab Ecliptica, decernere dicuntur maximos honores & eximiam dignitatis & splendoris præstantiam RANZ. p. 171. Forte etiam *Cordi Leonis* in secunda domo versantis, nec multum distantis à nostra Eclipsi, non omnino nullæ partes erunt assignandæ, cujus natura, cum ex parte *Jovialis* credatur, juxta ORIG. p. 9, simul etiam vires agendi *Jovis*, cujus indolem imitatur, adaugebit, ut adeo cum Dominis nostræ Eclipsios vi-

res suas conjungant stellæ fixæ plures Zodiaco proximæ, *Regia* dictæ, vel ob fulgoris majestatem, vel augustum luminis splendorem & hinc eventuum efficaciam, & splendidam quam decernunt dignitatem, quales stellæ sunt *Vergilia*, *Palilicium* & *cor Leonis*, juxta *Stadium*. *Cardanus* numerat in *Tauro* tres, unam ex *Pleiadibus*, duas ex *Hyadibus*, priorem tertiæ magnitudinis inter nares & boreum oculum *Tauri*, posteriorem ipsum oculum *Tauri*; in *Geminis* unam, quæ dicitur *Pollux* sive *Hercules*; in *Leone* unam *cor Leonis* dictam; quæ juxta *RANZOVIVM* p. 171 sq. permixta cum benignis significatoribus, morum magnanimitatem, & graves mores ac generosos Theologo dignos addere censetur; insimulque per directionem *Orientis* sive *Horoscopi* ad ipsam, indicat annum, in quo honores amplissimi distribuentur, & qui altos gradus in religione sive Ecclesia, religionis defensoribus pollicetur, adversariorumque excidia seu vindictam. Hæ igitur omnes influxus suos combinantes cum influxibus Dominorum nostræ Eclipses, qui religionis causam suis benignis impressionibus promovere creduntur, magis optatos omnino effectus quoad religionem Lutheranam in hoc Jubilæo & sequentibus annis, ex mente Astrologorum promittent, imprimis cum *Jupiter* & *Venus* soli quidem proximi, ultra 15 gradus tamen ab ipso distent, adeoque ab omni combustione sint liberi, propter quam alias maximam virium suarum jacturam pati creduntur, cum quasi vincti & incarcerati esse censentur. *HALY P. I. c. 1. Judicior.*, tale impedimentum maximis stellarum infirmitatibus annumerat, atque hinc in collectione testimoniorum debilitatis, per quinarium numerum infortunii notari solent; Cum autem in nostra Eclipsi *Jupiter* & *Venus* in signo *Leonis* occurrunt, atque ad 21 circiter gradus à sole distant, à combustione sunt liberi, hinc testimonia fortitudinum & dignitatum, juxta *ORIG.* p. 35 adhuc quinario numero quoad virium incrementa augentur. Ut adeo in hoc nostro themate si unquam alias conspirare quamplurima videantur pro religione tuenda, & à tenebris quibus hætenus non solum per antiquiorum Ecclesiæ hostium, sed etiam recentiorum Fanaticorum machinationes, multis in locis involuta & quodammodo infuscata est, rursus cum tempore repurganda; Si quidem hi stellarum in nostra Eclipsi positus, si cum radicali  
nativi-

nativitatis hujus vel illius themate cognationem habeant, non possunt non ex mente Astrologorum fortiter movere & impellere homines, ad omnia obstacula religionis Lutheranae cursui posita, removenda & penitus tollenda atque disjicienda. De imaginibus denique stellarum seu asterismorum formis, in quibus accidit Eclipsis, hoc notat PTOLOMÆUS *text. 35. Lib. 2. Quadrip.* quod imagines *hominum* in genus humanum; *Quadrupedum* in quadrupedes, & in summa cujuscunque fuerint formæ, modi vel conditionis, in similes res eventus futuros decernant. Nostra Eclipsis ad asterismum *Geminorum* referri potest, dum *Geminis* est proxima, nam *Geminorum* constellatio jam occupat signum *Cancris*, in quo sol est, hujus ergo asterismi proprietates ex signatura sua qualitatem generis eventus, juxta Astrologos arguet, & afficiet imprimis homines, quia asterismus humanus, sed ita, ut juxta naturam planetarum dominantium, iisdem bonam & fecundam constitutionem fortunatasque confociationes, & incrementa designet. Vid. ORIG. *l. c. p. 60*, quæ omnia bona omnia præstant pro Lutherana religione; imprimis ex mente Astrologorum inter cæteras civitates *Cancro* subjectas, Wittebergæ & Lubecæ bene propter religionem omniantur, ORIG. *l. c. p. 51*. Ad signa respiciendo, eorumque significata, quod Astrologi faciunt, contingit nostra Eclipsis in signo solstitiali, caditque ratione temporis in mediam æstatem, & ratione loci, in quadrantem æstivalem; Et quamvis æquinoctialia signa de sacris & religionis cultu potissimum prognostica suppeditare dicantur ORIG. *p. 61*. Unde CARDANVS, quia Christus in nativitate sua in Horizonte habuerit signa æquinoctialia, ita, ut cardinalia cœli puncta in figuræ Christi cardinibus fuerint fere partiliter, colligit, hoc ipso, toti mundo magnum illustremque Virum veræque religionis Auctorem & Statorem fuisse prænunciatum. Attamen solstitialia signa cum de rerum tam Politicarum quam Ecclesiasticarum statu ex mente Astrologorum vaticinia subministrant, ex natura beneficorum Dominantium, qui religionem respiciunt, felices quoque Lutheranae religioni denuntiant eventus.

§. VII. Possemus si operæ pretium esset, longiorem catalogum construere omnium istorum, sive bonorum, sive malorum effectuum, quos ex astris, & imprimis etiam ex themate Eclipses

temere & confidenter fequi credunt Astrologi, dummodo talium vaticiniorum firma & non nimis lubrica haberent fundamenta, imo si quod res est, dicere velimus, si non aperte superstitiosa, fictitia & impietatis plena assumerent fundamenta, imprimis in rebus ad religionem pertinentibus. Quæ enim detestanda est impietas, ex astrorum configurationibus & influxibus religionem derivare! & talibus præfagiis nimis curiosis & incertis velificari, quæ in hominum animis aliquam fatalem necessitatem excitant, principiumque activum, liberum scilicet hominis arbitrium, & voluntatem ceu captivum aliquod animal influxui cœli subjiciunt. Sed si temporum historia nos docet, ejusmodi prædictiones ex astris olim fuisse auditas e. g. anno 1588, ut non solum propter conjunctionem superiorum planetarum in signo Piscium, sed & ob incidentem Eclipsin Lunarem, tum extremum judicium adventurum adseverarint, ut & cataclysmum quendam universalem. Item: si anno 1653 sub nomine ARGOLI & HÜBNERI evulgata sunt prognostica, mundum tunc vel sequente anno interiturum ob magnam & universalem [veluti illi contenderunt] Eclipsin solis, qualis à condito mundo non visa esset; auditæ quoque sunt prædictiones, quæ olim mundi excidium ad annum 1624 retulerunt; quas omnes prædictiones superstitionis & impietatis plenas, eventus hætenus abunde refutavit. Vid. EICHSTAD. in Disput. de Effectibus Eclipsium c. 1. §. 26. Quid multum mirari subit, homines etiam eo fuisse progressos, vel audaciæ, vel dementiæ, ut ex astrorum configurationibus & Luminarium Eclipsibus, non rerum publicarum solum mutationes & conversiones, sed etiam religionum fata temere pronunciarint? Suo jam tempore D. AMBROSIUS Lib. IV. Hexam. c. 4. Astrologos perstrinxit, quod velint, humanas hominum actiones & passiones etiam supernaturales à concursu gratiæ & peculiari voluntate Dei contingentes, ut improborum hominum, sed præsertim D. Pauli conversionem, Apostolorum electionem, boni latronis confessionem & salutem &c. esse ob influentiis cœlestibus hora Nativitatis. Summum hominis bonum est in sola vera religione ait LACTANTIUS Lib. 3. de falsa sapientia C. X, cujus summi boni excellentia ex sublimitate mysteriorum, certitudine doctrinarum, legum sanctitate, perpetua Spiritus S. assistentia

tia cognoscitur; accedunt admirandi religionis Christianæ effectus in hominum mentibus, tam discipulorum Christi quam aliorum Christianorum, qui Christum sine ulla spe lucri, aut humani honoris confessi sunt, quia hæc religionis Christianæ doctrina solum vera lætitia cor imbuit, vivumque solatium menti in morte instillat. Sed astra multo inferioris ordinis & ignobilioris naturæ sunt, quam ut mentem humanam quæ spiritualis est, astra vero corpora sunt, tantis bonis beare, taliumque sublimium rerum aliquid à stellis queat effici. Astrologorum ineptias & infelicia circa astrorum apotelesmata studia ridendumque hæc in re vanitatis genus, ita ridet ABDIAS Trew im *Discurs vom Grund der Astrologie Lit. C. 1.* Was die Sachen anlanget / auf welche man die præcepta Astrologica gezogen / in Meynung / solche daraus zu prognosticiren / ist die öffentliche Absurdität für Augen / daß nemlich die in derselben gewöhnliche Regel solche Dinge setzen / von welchen kein gewissenhafter Astrologus aus seiner Kunst zu reden sich anmaßen sol / und kan / als da ist: Ob einer fromm und gottlos / in seiner Religion beständig oder ein Apostata werden sol? Von diesen Dingen allen kan / wil nicht sagen ein Theologus, sondern ein Philosophus, wenn er nicht die Augen zuthun / und seiner principiorum ganz vergessen wil / nicht anders sagen / als daß die sidera gegen diese Dinge causæ heterogeneæ fremde und falsch angezogene Ursachen seyn / in den allegatione *ματάβασις εἰς ἄλλο γένος* begangen werde / denn es sind ja lauter Sachen / die herrühren à causis voluntariis oder causis per accidens; Nun heist es ja von jenen: Voluntariæ causæ possunt cessare & agere, etiam positis omnibus conditionibus; und müssen die Sterne noch einmahl Götter / ja gar vernünfftige Creaturen / von grösser Gewalt als die Engel seyn / wenn ihnen solche willkührliche Wercke könnten zugeschrieben werden; die Astrologi noch weiser und geschickter als sie / sintemahl sie ihnen gleich / als ins Herze sehen / und was sie über viel Jahre zu thun willen / auch wie es gerathen werde / lange vorher sagen können.

nen. *In actis Philosophorum ex Historia Philosophica P. IV p. 620 seq.* ita habetur: Etliche stehen in den Gedancken/es dependire das meiste vom Einfluß des Gestirns; Ja einige haben gar die Religions-Reformationes dieser Ursach zugeschrieben/und vorgegeben: Moses 3. E. Christus/Lutherus/hätten eine neue Religion einzuführen/ den Trieb und den Verstand derjenigen constellation, in welcher sie geboren/zu dancken gehabt; allein diese Meynung ist unter die Mißgeburten der Philosophiæ barbaræ mitzurechnen WALCHIUS in tractatu quem vocat: Gedancken vom Philosophischen Naturel p. 13 seq. scribit: Es haben ein ge die Beschaffenheit und Schicksal der Religion von denen Sternen herleiten wollen/ wie ein gewisser Auctor, der im XI und XII Seculo post Christum natum mag gelebet haben/ und unter Ovidii Nahmen de Vetula geschrieben/ vid. FABRICII *Bibl. Latin. Lib. I c. 15 p. 279*, Die Jüdische Religion von der Vereinigung des Jovis und Saturni; Die Römische von der conjunctione Jovis cum Venere; und die Christliche von der Verknüpfung des Jovis und Mercurii. Daher kein wunder/ daß so gar die Geburt unsers Heylandes hieher gezogen/ wie Hieronymus Cardanus. Doch eine solche Art zu philosophiren/ ist bey denen/die nur das geringste Nachdencken haben/ nicht mehr mode, weil nicht nur ihre Vertheidiger keinen tüchtigen Grund angeben können/ sondern auch die Erfahrung in denen häufigen Exempeln entgegen steht/ und noch überdies allerhand ungereimte Folgerungen daher fließen möchten. ORIGENES ADAMANTIUS apud EUSEBIUM CÆSARIENSEM *Lib. VI de preparatione Evangelii C. 9* ut disputet contra Astrologos, supponit: Eos hoc credere, quod futuri hominum eventus fatali necessitate accidant, imo quod fideles fato ducti in Christum credant, ideoque eos sibi refutandos sumit.

§. VIII. Cum autem multum roboris ponunt Astrologi in his suis prædictionibus in planetarum dignitatibus, quas ipsis tribuunt in his vel istis Zodiaci signis certa figura & imagine expressis, uti ex prognostico etiam à nobis in themate Eclipseos nostræ

stræ



stræ juxta Astrologorum regulas instituto, patuit; quis non videt à figuris & imaginibus, quas Ethnici sideribus imposuerunt, frivola & infirma nimis duci argumenta? Nam qui à Patriarchis istas imagines primum stellis assignatas, successive ad gentes pervenisse credunt, maximopere errant. Siquidem Judæi prorsus ab ejusmodi imaginibus & picturis abhorruerunt, ergo originem trahunt ab Ethnicis, præsertim à Græcorum fabulosis narrationibus. Mera ergo figmenta sunt placita, quæ ab ipsis asterismorum imaginibus in themate Eclipsæ desumuntur, liquidem leges Astrologorum sine ulla ratione à priori sunt positæ & frivolis saltem analogiis & similitudinibus ad propositum effectum nihil pertinentibus nituntur, quod pluribus deducit DE CHALES l. c. p. 649. Merito hinc Doctissimus VIE l. c. p. 663 pro absolis habet, quæ suo more Astrologi de Eclipsibus proferunt, quando erecto ad medium Eclipsæ themate, ut vidimus, aliquis *significator* eligitur, signumque attenditur, in quo accidit, atque ex illis omnibus desumitur significatio effectuum futurorum; Nam si ad omnes circumstantias attendimus, deprehenditur, ad eventus contrarios eadem signa & sidera sæpe sine fundamento accommodari, & quos alii huic vel isti signo, vel stellæ, felices eventus adscribunt; illi iterum ab aliis ad infelices detorquentur, & raro signum aliquod vel sidus ita faustum deprædicatur ab hoc vel isto Astrologo, ex quo alii non infaustos eventus pollicentur. Consideremus modo *Signum Virginis*, & illustrem in eo stellam *Spicam Virginis* dictam, ex quibus juxta RANZOVIVM Astrologi multi, non nisi faustissima religioni ominantur, ita quidem, ut hæc stella nunquam malum sortiri exitum dicatur p. 310, quæ ad suprema quoque honorum in Ecclesia culmina, summaque rerum fastigia homines ex infimo gradu etiam & ignobili profapia progenitos, evehere credatur. p. 310, 313. Imo eousque progrediuntur Astrologi quidam, ut statuant, vix ingenio humano & lingua *Spicæ Virginis* fausta etiam pro religione decreta, planius & plenius enunciari posse, cum stella illa fulgentissima, NB. nunquam malum exitum obnunciare consueverit, vid. RANZOV. p. 312 seq. De CHALES l. c. p. 661 Virginis signum pudicos rerumque divinarum cupidissimos reddere, ex mente Astrologorum affirmat. Quomodo vero cum his pronuntiatis per omnia conveniant & concilientur, quando ORIGANUS l. c. p. 301 de *Spica Virginis* tradit:

dit:

dit: quod si *Saturnus* cum *Venere* & *Spica Virginis* in *Ascendente*, vel magis adhuc, si in ipso loco nono sit, tum Theologos quidem faciat, sed qui pro Hæreticis habentur? alii judicent. Quis enim hunc eventum pro felici habebit? Ex quibus concluditur, eventibus contrariis signa & stellas accommodari, magnamque in prognosticis contrarietatem & pugnantiam ubique deprehendi. Recte ergo TYCHO BRAHE *l. c. p. 457* talia prognostica ridet, & indigna quoque judicat, quæ commemorantur & diluantur, quando aliqui imagines fabulosas cœlo appictas à Veteribus Patriarchis Judæorum repetunt. Quid enim magis absolum esse potest quam dicere, si Eclipsis in imagine humana fiat, homines imprimis per tales affici, signumque Virginis esse religioni accommodatissimum, ut inde præfagia de religione hujus vel illius hominis desumi queant, quasi figuris istis, aliquid energię insit, quæ plane sunt supposititiæ. Cum aliqui anno 1572 ex nova stella multa vaticinia circa religionem desumsissent, & perperam atque malitiose abusi fuissent anilibus aliquot fabulis ex imaginibus stellarum confictis, idque in detrimentum Lutheranae religionis ejusque asseclarum, saltem ut suas, quas sequerentur partes, extollerent, recte his & acute respondet TYCHO *l. c. p. 234*: *Nugentur hic, inquit, Astrologastri quicquid velint, cœlum non ob id mendacis obnoxium, quod terra his vitio hominum scateat. Si quis autem magis pie & vere, quam quod fabulis vetustis pro testimonio indigeat, inferre velit, hoc insolitum divine potentie ostentum, juxta constellationem Casiopeje positum esse, ut homines mundani admoneantur securitatis & superbia detestande, non refragabor. Sibi enim ipsis nimium placentes, Deum non suspiciunt, nec proximi curam gerunt, propriis saltem desiderii indulgendo occacati; interim tamen ubiq; fere de Dei verbo gloriantes, nihilominus convitiis atq; malevolentia se invicem hoc prætextu proscindentes, cum nemo ferme officium faciat. Et quod maxime deplorandum est, illi, qui alios maxime ad pietatem, charitatem, mansuetudinem, tolerantiam fidei nostræ elucencia opera, adhortari atq; præire deberent, fuco externo pietatem, quæ simplex & intrinseca esse debebat, obducunt, & imperitos decipiunt, de proximi amore nihil aut parum solliciti, philautia saltem laborantes, superbia, avaritia & vindictæ cupiditate intumescentes, aliosque ad patientiam persequendo potius adigentes, quam quod ipsi moderate & tolerantanter se gerant, imo inter se ipsos non convenientes, Non igitur mirum simpli-*

*cem*

*cem & imperitam plebem, quæ ex horum ore pendet, ita ad devia prolabi, ignoratoque & neglecto augusto veritatis tramite, latam illam & tritam mundi viam secure currere; Quæ optime in modernos Novatores, qui exterius nil nisi pietatem & modestiam spirant, intus fastu & superbia intumescentes, quadrare videntur.*

§. VIII. Quod superest, verbis HUGONIS GROTII ostendam quam absurde peccant graviterque errant illi, qui religionem ejusque fata corporum cœlestium impressionibus attribuunt, & ab astris suspensa esse credunt; ita vero ille in *Traët. de vera religione Lib. IV. §. XI. Fuere Philosophi, qui, ut ortum, ita & interitum religionis astris adscribunt: Sed ipsa quædam ipsi scire se profitentur sideralis scientia, tam diversis sub normis traditur, ut nihil in ea certi reperiatur, præter hoc ipsum, certi esse nihil. Non de illis loquor effectibus, qui ex natura necessitate causarum sequuntur, sed de his, qui ab humana procedunt voluntate, quæ ita suaapte vi est libera, ut nihil ei necessitatis extrinsecus imprimi possit. Quod si ex impressione tali necessario sequeretur actus voluntatis, jam vis in anima deliberandi atque eligendi, quam sentimus ipsi, frustra esset data, omniumque legum præmiorumque ac pœnarum æquitas sublata, cum neque culpa, neque meritum possit esse in eo, quod plane sit inevitabile. Tum vero cum actiones voluntatis male quædam sint, si certa necessitate ex cœlo procedunt, eo quod cœlestibus corporibus vim talem Deus attribuerit, jam sequetur: Deum, qui perfectissime bonus est, malitiæ moralis veram esse causam, & cum lege posita profiteatur, se detestari malitiam, cujus vim effectricem atque inevitabilem inferuerit ipsis rebus, velle cum duobus quæ sunt inter se contraria, ut idem fiat, & non fiat, & peccari in eo, ut quis agat divino impulsu. Probabilius ab aliis dicitur: astrorum influxibus ærem primum, deinde & corpora nostra contingi, & qualitates quasdam imbibere, quæ plerumque excitent in animo respondentes sibi appetitiones. Verum hoc ita concessum nihil facit,*

G

ad

ad eam, quam tractare cepimus, quæstionem; Nam Christi religio cum vel maxime abducat homines ab iis, quæ corpori placent, ex corporis affectionibus ortum habere non potuit, ac proinde nec è vi siderum, quæ, ut dixi, in animum non agunt nisi per eos affectus. Prudentissimi Astrologorum, eximunt à siderum legibus Viros vere sapientes ac bonos; at talis revera fuerunt, qui primi religionem Christianam susceperunt, quod vita ipsorum probat. PTOLOMÆUS ait: Potest vir sapiens multas astrorum efficientias avertere. Quod si eruditioni quoque ex literis aliquam vim damus adversus corporis contagium, fuerunt semper inter Christianos etiam, qui hac laude florent. Tum vero siderum effectus certas mundi plagas respiciunt, & temporarii sunt. Hæc vero religio jam ultra mille septingentos annos durat, nec in una sed in dissitissimis mundi partibus, & quæ longe alio sub siderum positu. JUSTINUS Apolog. II. fol. 80 Opp. Nisi electione libera facultatem habet humanum genus, ut turpia fugiat, honesta sumat, in neutram partem ipsi adscribenda actionis causa.

Calculi Eclipsæ Solaris ad d. XV. Julii A. MDCCXXX  
horis matutinis conspectæ, ex Tabulis STRAUCHII  
deducti, & pro nostro Meridiano computati,  
momenta potiora:

Tempus Conjunct. mediæ Eclipsæ	Jun. d. II. h. 16. m. 27. f. 42
Longitudo Soli media	S. 3. gr. 22. m. 33. f. 22
Anomalia Solis	0 14. 44. 49
Anomalia Lunæ	0 13. 10. 15
Arcus præcessionis	m. 36. 6
Motus Lunæ horarius	27. 44
Intervall. temporis inter verum & med. Syzig.	h. I. m. 18. f. 6
	Tem-

Tempus Syzyg. veræ	-	Jun. d. II.	h. 17.	m. 45.	f. 48
Verus locus Solis & Lunæ Cancri	gr.		22.	19.	51
Particula æquationis addenda	-			7.	12
Differentia Meridianorum inter Hafniam & Gryph.				2.	16
Tempus currens juxta Calend. novum Jul. d. XV. h. V.				m. 40.	f. 20
Ascensio recta Solis	-		114. gr.	m. 8.	f. 10
Punctum Oriens in æquatore	-		109. gr.	m. 23	
Punctum Eclipticæ oriens, Leonis	-		11. gr.	58	
Angulus Orientis	-		48.	18	
Parallaxis Solis subtr.	-			m. 2.	f. 34
Locus Lunæ visus tempore Syzyg. veræ, Cancri	23. gr.			0	9
Verus locus Solis una hora ante Eclipsin, Cancri	22.			17.	28
Verus locus Lunæ	-		21.	49.	35
Motus Lunæ horarius visus tempore Syzyg. veræ				m. 31.	2
Motus Solis horarius	-			2.	23
Intervallum inter veram & med. Syzyg.		H. I.		m. 17.	f. 58
Tempus apparentis Conjunctionis limitatissimum sive Medium Eclipseos Jul. d. XV. Hor. mat. IV.				m. 34.	f. 27
Latitudo Lunæ visa ad medium Eclipseos Australis				m. 16.	42
Semidiameter Solis	-			15.	I
Semidiameter Lunæ	-			16.	I
Digitus Ecliptici	V.		m. 43.	f. 37.	fere 6 digitorum
Scrupula Incidentiæ			m. 25.	f. 50.	
Tempus Incidentiæ			49.	58.	
Initium Eclipseos Jul. d. XV.		H. III.		m. 44.	f. 28
Finis	-	H. V.		m. 24.	f. 26.
Tota Duratio	-	I. H.		m. 39.	f. 58.
Latitudo ad initium Borealis				m. 2.	f. 15
Latitudo ad finem Australis				m. 20.	f. 47.



# COROLLARIA.

DN. RESPONDENTIS.

I.

**O**mnis calor corpora expandit; Frigus è contrario constringit.

II.

Omnis ventus originem ducit, vel a subita resolutione, vel subita compressione aëris vel ætheris.

III.

Omnes actiones in corpore humano dependent mediante spiritibus animalibus, ab anima.

IV.

Omnia corpora in toto terrarum orbe existentia vel nutriuntur, vel corruptioni sunt obnoxia.

V.

Nulla datur naturaliter Eclipsis solaris totalis cum mora.

VI.

Nil obstat utrum unus, an quinque sensus ponantur.

VII.

Omnibus corporibus est internus motus.

VIII.

Nulla datur actio indistans.

IX.

Virgula mercurialis non agit ex qualitate occulta.

X.

Nulla aqua est aëre destituta.

XI.

Altitudo Atmosphæræ nostræ non est eadem ubique locorum.

XII.

Eclipses lunares fiunt, quando a terra luna mutuato lumine defraudatur, & tales Eclipses dantur totales atque universales.

G 3

XIII.

XIII.  
Dantur etiam Planetarum phases, quæ nudo oculo conspici  
nequeunt.

XIV.

Omnis aër est vehiculum auditus, æther vero visus.

XV.

Non revera stellæ apparent novæ.

XVI.

Omnia corpora sunt gravia, & nullum corpus in rerum na-  
tura datur, quod leve est.

XVII.

Sol quo terræ propior, eo remissior, quo remotior, eo in-  
tensior ejus calor in nostris regionibus existit.

XVIII.

Iridem jam ante diluvium fuisse, ut concedamus, principia  
optica requirunt, nec textus Hebræus Gen. IX. 13. 14. 15. id negat.

XIX.

Luna in novi lunio multo plenior, quam in plenilunio; nec  
etiam quod plenilunium vocare solemus, revera tale est.

XX.

Luna integra, neque oculo nudo, neque armato, ullo unquam  
tempore, ne per vices quidem, est conspecta.

XXI.


Umbra videtur ad motum corporis moveri, cum tamen non  
moveatur.

XXII.

Lucius & Sejus eodem momento nati, eodem postmodum  
denati sunt, & si vitæ dies supputes, alter alterum 3. 6. 7. diebus ex-  
cedet.

XXIII.

Si contingat, ut Lusitanorum alii die Jovis, alii Veneris resur-  
gerent, omnes tamen simul resurgent.



Astron 586, 20